

1903



# DIRECTORIUM.



APPROBATUR.

Vilnae die 19 mensis Novembris 1904 anno.

+ **Eduardus Episcopus.**

ОДОБРЕНО.

Г. Вильна. Ноября 19 дня 1904 года.

Секретарь Виленск. Римско-Кат. Епарх. Управленія

**Каноникъ Садовскій.**

№ 3036.

**DIRECTORIUM**  
**HORARUM CANONICARUM**  
E T  
**MISSARUM**

PRO  
**DIOECESI VILNENSI**

In Annum Domini Communera  
**M C M V,**

Auctoritate et Mandato  
EXCELLENTISSIMI, ILLUSTRISSIMI AC  
REVERENDISSIMI DOMINI DOMINI  
**EDUARDI Liberi Baronis**  
**de ROPP**

DEI MISERATIONE ET S. APOSTOLICAE  
SEDIS GRATIA

**EPISCOPI VILNENSIS**

iuxta Kalendarium, a Sede Apostolica 1901  
a. approbatum compositum.



V I L N A E.

Typis Joseph Zawadzki.

—  
1904.

---

Дозволено Цензурою 16-го Октября 1904 года. г. Вильна.

---



## REVOLUTIONES anni 1905.

---

Aureus numerus . . . . .	V. St.	VI.	N. St.	VI.
Cyclus solaris . . . . .	— —	X.	— —	X.
Indictio Romana . . . . .	— —	III.	— —	III.
Epacta . . . . .	V. St.	V.	N. St.	XXIV.
Littera Dominicalis . . . . .	— —	B.	— —	A.
Littera Martyrologii . . . . .	— —	e.	— —	E.
Pontificatus SSmi Dni Papae PII X. a die 22 Julii				
(4 Augusti) incip. annus . . . . .				3.
Aetatis ejusdem a. d. 2 Junii inc. a. . . . .				70.

---

## FESTA MOBILIA anni 1905.

---

Septuagesima . . . . .	V. S.	13 Febr.	N. S.	19 Febr.
Dies Cinerum . . . . .	—	2 Mart.	—	8 Mart.
Pascha . . . . .	—	17 April.	—	23 April.
Ascensio Domini . . . . .	—	26 Maji.	—	1 Junii.
Pentec. . . . .	—	5 Jun.	—	11 Junii.
Corpor. Christi . . . . .	—	16 Jun.	—	22 Jun.
Dominicae p. Pent. . . . .	—	XXIV.	—	XXIV.
Dominica 1-ma Adv. . . . .	V. St.	27 Nov.	N. S.	3 Dec.

---

## De solemnitate festi translati in Dominicam.

---

Pluribus in locis dioecesis nostrae evenit solemnitates quorundam festorum celebrari die dominica ipsum festum sequente. Ubi translatio haec solemnitatis fit ex concessione S. Sedis Aplicae, in omnibus, id est: in officio, Missa et Indulgentiis standum strictissime tenori concessionis Apostolicae. Ast ubi dicta translatio facta est auctoritate loci Ordinarii, vel etiam consuetudine, haec circa illam sunt observanda:

a) Nulla omnino fit mutatio officii diei dominici, sed omnes horae canonicae recitandae sunt, ut in Directorio notatur.

b) Missa unica sollemnis (per modum votivae sollemnis) cantari potest de festo, cujus sollemnitatis agitur, in colore festo conveniente cum Gloria et Credo, unica oratione (cui sub una conclusione adjungitur com. Ssmi, si sit expositum), Praefatione festi, si propr. habuerit, alias ut in Directorio, et semper cum ult. evang. S. Joannis *In principio*, etiamsi nullus alius adsit sacerdos, qui celebret Missam de festo vel de Dominica currente; exceptis tamen Ecclesiis Cathedr. et Conventual. Omnes autem aliae Missae celebrandae sunt de Officio currente, ut in Directorio ponitur.

c) Si vero Dominica, in quam sollemnitatis transfertur, sit major seu I cl. (uti: Dom I Adv., I Quadr., Passionis, Palmarum, Paschae, in Albis, Pentecostes et SS. Trinitatis), aut in Dominicam inciderit aliquod Festum *de praecepto*, tunc Missa sollemnis celebratur de Dom, vel Festo et ejus orationi additur sub una conclusione commemor. festi translati, servatis in Missa reliquis aliis, quae in Directorio assignantur.

d) Vesperae demum tam primae quam secundae solemniter cantari possunt de festo translato; ita tamen, ut per easdem vespervas oneri recitationis horarum canonicarum non satis fiat.

*Not.* Hic etiam advertendum venit de Missa solemniter cantanda in casu, quando Festum Tituli vel Patroni transferri debet. Haec itaque Missa sollemnis, et quidem unica, cantari potest de festo translato: in colore conveniente, cum Gl. et Cr., cum unica orat. Praefatione propr., si habuerit festum, et cum ult. evang. S. Joannis. Sed excipiuntur: Dom. 1 Adv., Fer. 4 Ciner., Dom. 1 Quadrag., Dom. Palmar., cum tota Hebdomada majori, Dom. Resurrect. et Dom. Pentec. cum duobus sequentibus diebus, dies Nativ. Dni, Epiphaniae, Ascensionis et Festum Corporis Christi. In his exceptis diebus potest sub una conclus. adjungi orationi Missae commemor. de Titulo vel Patrono translato. Reliqua fiunt ut in Direct. pro hac die assignantur.

1. Quomodo variantur Antiphonae et versus, quando plures Commemorationes ex eodem Communi sumendae sint? „Quando plures Commemorationes occurrunt faciendae de eodem Communi (nisi aliter in Breviario notetur) *ad Vesperas*, dictis Antiphona et versu de 1 et 2 Vesperis, altera Commemoratio fit per Antiphonam de Laudibus et versum ex 2 Nocturno, ultima vero per primam Antiphonam et versum ex 3 Nocturno. *Ad Laudes* vero, dictis Antiphona et versu de Laudibus, prima Commemoratio fit per Antiphonam et versum de 1 Vesperis, altera vero per Antiphonam de 2 Vesperis et versum ex 2 Nocturno, tertia



tandem per primam Antiphonam et versum 3 Nocturni“. S. R. C. ita rescripsit et declaravit die 27 Iunii 1899 a.

2. Si vero ex eodem Communi, unde sumpta sunt in Officio diei, sumenda essent Antiphona et versus Festi redacti ad instar simplicis, tunc in primis Vesperis Antiphona et Versus sumantur e secundis; si Festum utrasque Vesperas habeat. in Laudibus e 1. Vesperis, et in 2-dis Vesperis Antiphona sumatur e Laudibus et Versus e 1-mis Vesperis, nisi aliter signetur: excepto casu, quo Commemoratio alicujus S. Virginis facienda sit in festo alterius S. Virginis; tunc enim in 1-mis Vesperis pro S. Virgine, de qua agitur Commemoratio, Antiphona sumenda erit e Laudibus.

Quando vero Festum ad instar simplicis recolendum Commemorationem in 2-dis Vesperis ob Festum duplex 1-ae vel 2-ae classis immediate sequens non habeat, fit ut cum Festis simplicibus i. e. in Vesperis sumantur Antiphona et Versus ex Laudibus ex primis Vesperis eiusdem Communis, nisi aliter signetur. Rubr. gener. Brev. IX. 8.

In litanis Lauretanis post praeconium „Mater Admirabilis“ adjici debet alterum: Mater boni consilii, ora pro nobis“. (Decretum SS. Rituum Congr. die 22 aprilis 1903 anno).

In Ecclesia Cathedrali, ubi cantari debent plures Missae in diversis anni temporibus, scilicet in feriis Quadragesimae, Quatuor Temporum, Rogationum et Vigiliarum, si festum occurrat dx. vel sdx. aut dies octavae alicujus Ssncti, vel etiam dies infra octavam SS. Corporis Christi, cantantur duae Missae, una de Festo post Tertiam; altera de

Feria post Nonam. In Vigilia vero Ascensionis, si occurrat Festum dx. vel sdx. dicuntur tres Missae, de Festo post Tertiam, de Vigilia post Sextam, et de Rogationibus post Nonam; sed in Vigiliis, quae occurrunt infra octavam non privilegiatam, non dicuntur duae Missae, sed tantum una Missa Conventualis, ac etiam omnes Missae privatae congruentius dicuntur de Vigilia cum commemoratione octavae.

---

Orationes imperatae sunt: 1) pro Papa, 2) pro quacunq. tribulatione.

---

\* \* Duplex asteriscus a latere positus designat festum palatii primi ordinis cum Hymno *Te Deum* celebrandum esse.

\* designat festum palatii secundi ordinis.

† crux denotat festa Pontificalia.

---

Confessio & Communio Paschalis hoc annō incipit a 1-ma Dominica Quadragesimae & prosequitur usq. ad Dominicam Ss. Trinitatis inclusive.

---

Recentiora S. R. C. decreta, festa: Nativ. S. Joannis Bapt., S. Joseph Sp. B. M. V. & Sac. Cordis Jesu, adnumerant illis dieb. & festis, quib. Missa solemn. de Requiem, praesente cadavere, prohibetur.

---

nimietate pluiarum, ipsas, antequam colligantur, putrescere, eapropter cuius presbytero Dioecetano, post orationem pro **Papa**, loco orat pro qu. tribul. orationem pro **Pluvia Serenitate**ve, prout necessitas expostulaverit, addendam in Missa praecipitur.

### De Missa pro Sponsis.

Quo uberiori gratia sponsi christiani in sacramento matrimonii ditentur ad munia ejus rite subeunda sancteque implenda, Ecclesia specialem Missam Votivam pro Sponsis assignavit pluribus eandem privilegiis doto, et intra quam, benedictio canonica sponis impertitur. Quapropter, optandum foret, ut animarum pastores, Christi fideles curae suae commissos saepius instruunt de majori fructu spirituali in animas rebundante, si matrimonium eorum intra sacrosanctum Missae Sacrificium benedicetur. Porro circa missam hanc et benedictionem matrimonii, haec quae sequuntur, serventur:

1) Missa Vot. pro sponis celebrari potest, etiam in duplici majori modo non sit dominica vel festum de praecepto \*). Celebratur vero in colore albo, *sine Gloria...*, et *absq Credo*, cum tribus orationibus, quarum 2—da est officii cur., 3ia quae in officio secundo loco assignatur, vel quae hoc tempore in dominica vel festo semiduplici 2—do loco praescribitur dicenda, in fest. BMV. 3tia or. erit *de Spirit S.*—Tandem si die hac. oratio imperata est addenda, 4to loco ponitur. Praefatio nisi sit propria festi v. oct. cur., communis dicitur. In fine: *Bened Dno.. UE. In principio.*

2) Si sit Dominica,—festum de praecepto,—dx. 1

---

\*) Decr. General. SRC. d. 20 Decembr. 1783 au. 4415



**Nota.** Ex privilegio S. Sedis die 22 Martii 1808 a. dato, licet *per decennium* omnibus sacerdotibus in omnibus ecclesiis dioecesis Vilmensis ob rationabilem causam bis in hebdomada cantare *Missam de Requie*, occurrente etiam festo ritus duplicis, exceptis diebus Dominicis, festis primae et secundae classis, aliisque festis de praecepto servandis, nec non vigiliis feriis atque octavis privilegiatis. Quocirca notandum:

a. Concessi indulti currere *annuum* octavum a die 22 Martii.

b. Indultum esse *locale* non *personale*. id est: non cuilibet sacerdoti licere bis per hebdomadam vi praedicti indulti celebrare missas de Requie, ubi voluerit, sed in qualibet ecclesia duabus diebus per hebdomadam. ab ejusdem ecclesiae rectore assignandis, missae in colore nigro etiam a pluribus sacerdotibus cantari possunt.

c. Dies vero pro praedictis missis assignandi non sint: duplicia I vel II Class., — festa de praecepto, — Dominicae, — tandem octavae, — feriae, vigiliae privilegiatae.

d. Numero duarum dierum per hebdomadam nil obstare officium inferioris ritus (sdx aut splx) eadem hebdomada occurrens. Etsi igitur bis vel etiam ter eadem hebdomada, off. sdx aut splx cadat, nihilominus tamen indultum pro reliquis duabus diebus, officio duplici majori vel minori occupatis, valet.

e. Tandem missa cantanda est *quotidiana* c. 1-ma or. quae apprime respondet intentioni postulantium (*ex orationibus diversis* in fine missalis), 2-da *ad libit.* celebrantis. 3-tia *Fidelium Deus..* et *Sequentia*.

**Oratio pro Papa** in Miss. etiam hoc anno imperatur et quando in Missali pro certis temporibus notatur pro *Ecclesia vel pro Papa*, semper utraque dicenda est. SRC. 22 Maii 1835.

Quoniam saepissime contingit, tempore verno, fruges terrae prae siccitate arescere, aestate autem prae

nimietate pluviarum, ipsas, antequam colligantur, putrescere, eapropter cuius presbytero Dioecetano, post orationem pro **Papa**, loco orat pro qu. tribul. orationem pro **Pluvia Serenitateve**, prout necessitas expostulaverit, addendam in Missa praecipitur.

### De Missa pro Sponsis.

Quo uberiori gratia sponsi christiani in sacramento matrimonii ditentur ad munia ejus rite subeunda sancteque implenda, Ecclesia specialem Missam Votivam pro Sponsis assignavit pluribus eandem privilegiis doto, et intra quam, benedictio canonica sponsis impertitur. Quapropter, optandum foret, ut animarum pastores, Christi fideles curae suae commissos saepius instruant de majori fructu spirituali in animas rebundante, si matrimonium eorum intra sacrosanctum Missae Sacrificium benedicetur. Porro circa missam hanc et benedictionem matrimonii, haec quae sequuntur, serventur:

1) Missa Vot. pro sponsis celebrari potest, etiam in duplici majori modo non sit dominica vel festum de praecepto \*). Celebratur vero in colore albo, *sine Gloria...*, et *absq Credo*, cum tribus orationibus, quarum 2<sup>da</sup> est officii cur., 3<sup>ia</sup> quae in officio secundo loco assignatur, vel quae hoc tempore in dominica vel festo semiduplici 2<sup>do</sup> loco praescribitur dicenda, in fest. BMV. 3<sup>tia</sup> or. erit *de Spirit S.*—Tandem si die hac oratio imperata est addenda, 4<sup>to</sup> loco ponitur. Praefatio nisi sit propria festi v. oct. cur., communis dicitur. In fine: *Bened Dno .. UE. In principio.*

2) Si sit Dominica,—festum de praecepto,—dx. 1

---

\*) Decr. General. SRC. d. 20 Decembr. 1783 au. 4415

v. 2 cl., — tota octava Epiph. — Vig. et tota oct. Pentec., <sup>1)</sup> — die octava Corp. Chr., <sup>2)</sup> missa de die dicitur c. com. pro sponsis sub distincta concl., vel, si plures orationes sint dicendae, haec pro sponsis, ultimo loco ponitur, post omnes de praecepto, sed ante imperatas, et in proprio loco benedictio ex missali inseritur <sup>3)</sup>.

3) Juxta rubricam Ritualis Romani, primum forma sacramentalis perficiatur, (a hymno: *Veni Creator...* ad formulam declarationis: *Quos ergo Deus conjunxit...* inclusive). deinde celebratur missa, intra quam datur benedictio, prima post: *Pater noster...* altera ante: *Placet...*

4) Benedictio haec dici non potest, si sponsi mixtae sint religionis, neq. si sponsa sit vidua et iam benedictionem acceperit — neq. si matrimonium tempore clauso celebretur <sup>4)</sup>. Non est tamen obligatio applicandi missam ad intent. sponsorum nisi eandem expetierint.

5) Denique neq. Miss. pro spons. dici potest, nec fieri ejusd. com. in missa diei, si infra eandem non fit benedictio, sed abstrahitur ac ae <sup>5)</sup>.



---

<sup>1)</sup> SRC. d. 20 April. 1882, n. 4587. 5.

<sup>2)</sup> Gardellini in decr. cit. n. 4587.

<sup>3)</sup> SRC. ibid. ad 6, 7 et 8

<sup>4)</sup> SRC. d. 31 Aug. 1839 n. 4868.

<sup>5)</sup> SRC. d. 23 Jun. 1853 n. 5190, et d. 31 Aug. 1867.  
n. 5382 IV. 3.



### Notanda sunt:

Gravissimi est momenti ritus, qui Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum attingit. Sanctissimum est illud, sanctissima ergo cura colendum venerandumque est ac ministrandum. Atqui nemo est, qui neget nullibi terrarum hac in re tam clamorosam ac simul scandalosam vigere discrepantiam, quam in Nostra Dioecesi.

Quae cum ita sint, universum clerum dioecesanum appellamus atque clara voce confitemur, abusum tollere, vim propriam legi restituere, consuetudinem laudabilem cum S. R. C. praescriptis componere eamque in perpetuum firmare, hodie potissimum Nobis cordi esse debere. Itaque has, quae sequuntur, regulas expositionis, depositionis nec non benedictionis Sanctissimo ponimus ac totum Dioeceseos Nostrae clerum summa, qua Dei Sedisque Apostolicae gratia pollemus, auctoritate obligamus, ut omnia ad unguem observet, nec illius quisquam ab his declinare se praesumat. *S. R. C.* 800; 1879.

In omnium, quorum interest, revocamus memoriam duplicem distingui Sanctissimi expositionem: publicam et privatam. Haec est inter illas differentia publica dicitur et est, cum Sanctissimum in Ostensorio (monstrantia) exponitur; privata—cum solummodo tabernaculum aperitur, sacra vero pyxis non extrahitur de tabernaculo, sed ibi derelinquitur clausa suoque velamine tecta omniumque oculis sic subiecta. *Instr. Clement. Sacrae Liturgiae Praxis d. Herdt vol. II. 28.*

Publicam Sanctissimi expositionem nemo facere audeat, nisi licentiam Nostram obtineat. *S. R. C.* 703; 800.

Hanc Nostram licentiam damus hodie ecclesiarum rectoribus pro illis cunctis casibus, in quibus expositio Sanctissimi sive ob permissionem Antecessorum Nostrorum, sive ob immemorabilem consuetudinem fieri sole-

bat; simul tamen omnes absque ulla exceptione obligamus, ut quam primum libellos sibi procurent atque in his singillatim describant, quando (scl. in utrisque Vesperis, vel in Missa tantum), ubi (scl. in maiori aut laterali altari) in eorum ecclesiis expositio Ssmi fieri soleat, atque ut intra cursum insequentis 1905 anni specialem a Nobis approbationem acquirere studeant. Hanc ob causam oportet ut singuli Vestrum Vilnam adventuri hos libellos ad manus habeatis et hic Nobiscum de illa re sermonem faciatis approbandorum corrigendorumque quorundam causa.

A. Quod attinet ritum, hic, qui sequitur, a Vobis omnibus in publica Ssmi expositione est observandus:

Sacerdos, sive Missam, sive Vesperas, sive quodlibet aliud officium cum publica Ssmi expositione celebraturus, paramentis sacris debiti coloris indutus accedit ad altare, genuflectit unico genu in plano prius, deinceps surgens genuflectit utroque genu in gradu infimo et hic paulatim orat. Interim chorus aut omnes, quod maxime est desiderandum, fideles sacerdote aut organario praeintonante lingua vulgari cantare possunt quamlibet cantilenam Ssmi Sacramenti mysterio convenientem. S. R. C. 3110. 14; 3121. 7 Exempli gratia carmen sequens:

Niechaj będzie pochwalony  
 Od nas wszystkich uwielbiony,  
 Przenajświętszy Sakrament,  
 Ten Niebieski Traktament!

(Iuxta notam apud Jos. Surzynski propositam pg. 188 suo in libro qui inscribitur „Cantionale ecclesiasticum) Lithuanice sonat cantus hic:

Tegul buva pagarbintas,  
 Nuo visų mus pašlovintas  
 Sakramentas švenčiausis,  
 Dangaus valgis tikriausis!

Dum fideles hoc vel aliud carmen de Ssmo

lingua vulgari modulate canunt, sacerdos pyxidem ex tabernaculo extrahit et Sanctissimum in Ostensorio devote collocat; dein descendit in planum, utrumque genu flectit in infimo gradu, profunda capitis inclinatione adorat Ssmum, surgit, imponit in thuribulum sine benedictione thus, genuflectit in eodem infimo gradu, triplici ductu Ssmum incensat, profunda capitis inclinatione ante facta—et post, accipit velum, ascendit ad altare, genuflectit, accipit Sanctissimum, convertit se ad populum, stans versus populum manibusque tenens ante oculos Ssmum cantat: „O Salutaris Hostia“, deinceps „Uni Trinoque“. (*Rituale Piotrcov.*) His decantatis sine ulla populi benedictione (S. R. C. 3058. 1; 3308) vertit se ad cornu evangelii et ponit Ssmum supra altare. Si vero statim facienda est processio, tunc celebrans non vertitur ad altare, sed finito cantu „Uni Trinoque“ et praeintonato nunc in lingua vulgari (S. R. C. 3124.7) consueto cantico attente procedit, etiam sine populi benedictione. Si ad finem processionis cantari solet „Rex Christe Primogenite“, praeintonare potest ipse sacerdos progredediens cum Ssmo et reversus ad altare non se convertit ad populum, nec dat illi benedictionem, sed extemplo ponit Ssmum supra altare, genuflectit, descendit in planum, genuflectit, ut supra, in gradu infimo, surgit, imponit (in casu processionis) denuo thus in thuribulum, genuflexus in gradu infimo triplici ductu incensat Sauctissimum, surgit, ascendit ad altare, ibi genuflectit, dein Sanctissimum cum Ostensorio supra thronum locat. His peractis incipit Missam aut aliud quodlibet officium.

Ritus ille ab omnibus est observandus quotiescunque Sanctissimum publice exponitur, et quidem semper: sive semel, sive bis, sive ter aut pluries intra diem. Illud exponi est opus, scilicet et ante Missam Primariam, et ante Matutinum si coram Ssmo exposito sit dicendum, et ante Missam, quae vulgò votiva nuncupatur, et ante Missam Magnam, quae sub nomine Summae:

venit, et ante Vesperas; uno verbo, quotiescunque Ssmum publice exponere est opus, sic, non aliter sit exponendum.

Sanctissimum Sacramentum publice expositum nunquam deponere licet nisi data cum Illo solemnī benedictione. (S. R. C. 3713.) Hanc benedictionem solemnem semper praecedere debet cantus: 1) stropharum „Tantum ergo“ et „Genitori“, tum 2) versus „Panem de caelo“. et 3) orationis „Deus qui nobis“.... *Jnstr. Clement. XXIV. 16, 17. S. R. C. 3058.3; 3513. 3086.4.*

Hoc igitur modo Sanctissimum publice expositum deponendum est: Finita Missa i. e. *perlecto ultimo evangelio* sacerdos Ssmum de throno deponit supra altare, genuflectit, descendit in planum, genuflectit in infimo gradu utroque genu et praecintonat stropham „Tantum ergo“ (iuxta notam apud Chorale et etiam apud Jos. Surzyński in pag. 148 positam), chorus, aut omnes, quod semper est desiderandum, fideles hymnum non alia nisi lingua latina (S. R. C. 3530.2) continuant et ad verba „Veneremur cernui“ caput profunde omnes inclinant; deinceps praecintonat sacerdos „Genitori Genitoque“ et, dum ab omnibus cantus hic continuatur, ipse surgit, imponit sine benedictione incensum, genuflectit, triplici ductu, observata profunda capitis inclinatione, Ssmum incensat, cantu finito adhuc genuflexus cantat versum: „Panem de caelo praestitisti eis“ (tempore Paschali et per tot. octavam SS. Corporis Christi additur Alleluja, S. R. C. 3418.10) chorus et omnes respondent: „Omne delectamentum in se habentem“ (temp. Pasch. et per Oct. Corp. Chr. „Alleluja“); postea surgit Sacerdos et cantat „Oremus. Deus, qui nobis sub sacramento...“ Chorus respondet „Amen“ et sileat. Sileat tunc organum, sileant etiam omnes in ecclesia, quoniam Deus ipse benedicit. Et sacerdos cantata oratione genuflectit, accipit super humeros velum, accedit ad Ssmum, genuflectit, accipit manibus velo

genuflectit in infimo gradu, et absoluto totaliter hymno „Te Deum“, intonat „Tantum ergo“, dein, ut supra, obvolutis Ostensorium cum SSmo et cum Illo benedicit fidelibus omnibus. Organum et cantores silent hoc tempore, sola campanula *suavi ac moderato sono* pulsari debet praemonendorum praesentium gratia (S. R. C. 2464; 2722. 3; 3058. 2) Benedictione finita Celebrans deponit Ssmum super altare, genuflectit, descendit in planum, genuflectit in infimo gradu, triplici ductu incensat Ssmum, dein reddito thuribulo, antequam Ssmum reponatur in tabernaculum, cum fidelibus tunc praesentibus lingua vulgari alternatim recitare potest (S. R. C. 32 § 7.1):

Niech będzie Bóg uwielbiony!

Niech będzie uwielbione Święte Imię Boże!

Niech będzie uwielbiony Jezus Chrystus, prawdziwy  
Bóg i prawdziwy człowiek!

Niech będzie uwielbione Imię Jezus!

Niech będzie uwielbione Najświętsze Serce Jezusowe!

Niech będzie uwielbiony Pan Jezus w Najświętszym Sakramencie Ołtarza!

Niech będzie pochwalona Wielka i Najświętsza Matka  
Boża Marya Panna!

Niech będzie pochwalone Święte i Niepokalane Maryi  
Panny Poczucie!

Niech będzie pochwalone Imię Maryi, Dziewicy i  
Matki!

Niech będzie uwielbiony Bóg w Aniolach i Świętych!  
swoich!

### v e l L i t h u a n i c e :

Palaimintas Dievas!

Palaimintas Šventas Jo Vardas!

Palaimintas Jezus Kristus, tikras Dievas ir tikras  
žmogus!

Dir. Vil.

Palaimintas Jėzaus Vardas!

Palaiminta Švenčjausja Jo Širdis!

Palaimintas Jezus Švenčjausjame Altorjaus Sakramente!

Palaiminta Dydi ir Švenčjausja Dievo Motina Marija!

Palaimintas Šventas ir nekaltas Jos Prasiidėjimas!

Palaimintas Marijos, Panos ir Motinos Vardas!

Palaimintas Dievas savo Anjolais ir Šventaisjais!

denique intonat Sacerdos lingua pariter vulgari (S. R. C. 2698,2791.2) „Niech będzie pochwalony Przenajświęszy Sakrament“ quam salutationem fideles trina vice repetunt, interim autem Sacerdos surgit, accedit ad altare, genuflectit, Sanctissimum Sacramentum in tabernaculo claudit.

Ubi ministri sacri adsunt, Diaconus Ostensorium cum Stmo celebranti ministrat; hoc in casu porrigens Ostentorium stat et iam porrecto Illo, genuflectit et adorat, accipiens vero genuflectit et, nonnisi Illo accepto, surgit. *Sacrae Litugiae Praxis de Herdi vol. II. § 27.*

Sanctissimum Sacramentum publice expositum ita sit semper deponendum et hoc, non alio modo, danda sit cum Illo benedictio.

Si Missa aut Vesperae processione et cantu „Te Deum“ concludantur, tunc Sacerdos reversus post processionem ad altare, vertitur cum Ssmo ad populum, et manibus tenens Ssmum, stat versus populum usque ad „aeterna fac cum sanctis tuis in gloria numerari“ inclusive; cum omnium cantus iam cessavit, tunc celebrans vocem elevando trina vice cantat „Salvum fac populum Tuum Domine“, ultima vice adiungit verba: „et benedic haereditati Tuae“, non tamen hic benedicit, nec campanula fortius pulsatur, sed tranquille ac devote ponit Ssmum supra altare, descendit in planum,

„Genitori Genitoque“, imponit thus, incensat Ssmum, canit versum „Panem de caelo“, postea orationem „Deus qui nobis“, accepto velo benedicit in silentio cum Ssmo Sacramento populo, descendit, incensat, recitat si velit „Niech będzie Bóg uwielbiony“, dein intonat „Niech będzie pochwalony Przen. Sakr.“ et claudit Ssmum in tabernaculo.

Pro recitatione Rosarii singulis diebus mensis Octobris ex mandato Summi Pontificis Expositio Ssmi Sacramenti solemni modo in Ostensorio fieri debet, ergo eodem modo, quem supra explicavimus, Ssmum sit exponendum ac. deponendum. *S. R. C. 3650. 4; 3666.*

**Bene notandum:** Post versum „Panem de caelo“ non cantari „Dominus vobiscum“, sed immediate: „Oremus. Deus, qui nobis sub Sacram. mirabili etc“. (*S. R. C. 1265. 7; 1548.*)

Orationem: „Deus qui nobis sub Sacram.“ in depositione Ssmi semper esse concludendam breviter; *qui vivis et regnas in saecula saeculorum.* „Amen.“ *S. R. C. 2986. 6.*

Ad processionem peragendam, a celebrante induendum esse pluviale, numquam casulam, etiamsi immediate post processionem celebranda sit ab illo Missa. Pro Vesperis, vel Completorio, aut Matutino solemni-ter coram Ssmo publice exposito celebrandis albam stolamque et pluviale esse accipiendum. *S. R. C. 3697. 12; 3764. 8; 3799. 1.*

Colorem sacrorum paramentorum in expositione, depositione ac benedictione cum Ssmo adhibendum esse album, nisi immediate ante vel post quodlibet officium diei haec sint perficienda, tunc retinendum esse colorem officii. *S. R. C. 2562; 3559.*

Pro communionem sacra extra Missam distribuenda adhiberi posse indiscriminatim vel colorem diei, vel colorem album. *S. R. C. 2740, 12.*

Velum humerale et baldachim coloris esse debere albi, et quidem cum in parte interiori, tum etiam in parte exteriori. *S. R. C. 3086. 5.*



Ad tempus, quo Ssmum expositum in altari maneat, auferendas esse ex altari Sanctorum reliquias, quae auferri possunt. *S. R. C. 2365. 1.*

Ad tempus, quo intra Missam vel Vesperas, coram Ssmo exposito celebratas, concio habeatur, excepta solemniori expositione tempore XL horarum, ante Sanctissimum Sacramentum apponendum esse umbraculum aut velamen, candelas autem tunc temporis non esse extinguendas, sed manere illas ardentes. *S. R. C. 3728. 2.*

Benedictionem solemnem cum Ssmo in eadem ecclesia pluries intra diem dari posse (*S. R. C. 3438. 5; 3448. 3.*) intra tamen quodvis officium numquam plus nisi semel posse illam dari, et quidem sub officii finem, numquam in initio, (*S. R. C. 3308*) i. e. finita non nisi Missa, finitis Vesperis, aut alio quolibet officio omnino absoluto dandam esse benedictionem.

In Expositione in forma XL Horarum permitti singulis diebus sero, antequam Ssmum Sacramentum deponatur, benedictionem cum Eodem impertiri populo. (*S. R. C. 3438. 4.*)

Intra processionem solemnissimam festo SS. Corporis Christi Celebrantem posse, si placeat sibi, dare benedictionem cum Ssmo a quovis parvo altari, sed numquam alio ritu, nisi iam superius a Nobis exposito, id est praecantatis quavis vice strophis „Tantum ergo“, „Genitori“, versu „Panem de coalo. . . Alleluja“, ac Oratione *S. R. C. 2609; 3621. 3.*

Benedictionem cum Sanctissimo post processionem non in Ecclesiae ianua, sed ad altare esse dandam. *S. R. C. 1784.*

Benedictionem cum Sanctissimo Sacramento summa cum reverentia, gravitate et devotione dandam esse; cavendum esse ab omni praecipitantia et oculos in Sanctissimum continuo, esse figendos. *Caerem. Ep. l. I. c. XII. Sacrae Liturgiae Praxis de Herdt. vol. II.*

Non esse opus, ut Sacerdos cum Ssmo populo benedicturus una cum Ostensorio teneat etiam corporale; corporale explicatum relinquendum est super altari. Sacer-

dotem benedicentem cum Ssmo, corpore et capite manere semper erectum, decenti mora elevare Ssmum, non supra caput, sed tantum usque ad oculos, et eodem modo Illud demittere infra pectus; dum lineam transversam ducat, corpore et capite pedibusque etiam manere immotum, manus et brachia linea recta tam longe solummodo illum vertere, quam commode id facere possit.

Ubi Litanias aut alias preces coram Ssmo exposito lingua vulgari recitare esse solutum, posse quidem id fieri, dummodo id ante „Tantum ergo“ fiat; ius enim liturgicum absque ulla dispensatione praescribere ac iubere, inter cantum „Tantum ergo“ et benedictionem nihil vulgare interponi. *S. R. C. 3530. 2.*

Litanias in Ecclesia, publice in genere, et coram Ssmo exposito in specie, numquam recitandas aut cantandas esse alias, nisi a Sacra Rituum Congregatione approbatas. Hoc privilegio gaudere non nisi quatuor Litanias: Omnium Sanctorum, Sanctissimi Nominis Jesu. de Sacro Corde Jesu, Lauretanam B. M. V. S. R. C. 3820, 1; 3916.

Ubi vero alias Litanias in Ecclesia recitare esse assuefactum, abhinc in quaslibet ex approbatis, et supra enumeratis, commutandas esse. (*S. R. C. 1723; 3555; 3981. 1, 2, 3.*)

Neque cuilibet esse fas propria sua auctoritate Litanis approbatis aliquid addere aut demere, neque illarum finem commutare aliquem pro arbitrio posse, sed sicuti a Sede Apostolica sint approbatæ et in libris liturgicis expressæ, ita recitandas esse illas. *S. R. C. 2613. 7; 2791. 3; 3733.*

B. De Ssmi expositione privata. Pro Sanctissimi Sacramenti expositione privata aperitur tabernaculi ianua, sed pyxis exinde nunquam extrahitur. (*Instr. Clement. Herdt. Vol. II.*) Huiusmodi expositio vi legis propria parochi auctoritate fieri potest, et sola devotio aut alia quaelibet rationabilis causa, pro hac expositione sufficiens censetur ratio. *S. R. C. 800; 3650. 1,*

2, 3; *Instr. Clement § 36. 10.* Nullus pro expositione privata praescribitur particularis ritus, nisi vestes sacrae: superpelliceum et stola alba et saltem sex cerei ardentes. Alias tenendum est de benedictione cum pyxide: hanc non esse dandam, nisi sit acquisita a Nobis specialis ad hoc licentia, et nisi ad amussim observandus sit ritus, pro hac benedictione iure liturgico praescriptus. *S. R. C. 3394. 1; 3875. 3. Instr. Clem. § 36. 23. 26.*

Sacerdos, permissione Nostra munitus, daturus sacra pyxide benedictionem, indutus esse debet superpelliceo et stola coloris albi. Ille genuflexus in infimo gradu recitat prius aut cantat, nota iam Nobis, cantica „Tantum ergo“ et „Genitori“, deinceps versum „Panem de caelo“ (t. pasch. et intra oct. Corp. Chr. cum „Alleluja“) et orationem „Deus qui nobis sub Sacramento“, tunc accipit velum, accedit ad altare, genuflectit, accipit sacram pyxidem suo velamine obductam, non ponit illam supra altare, sed manu tenens, altera cooperit illam veli humeralis extremitatibus, vertit se ad populum et in silentio benedicit adstantibus; benedictione finita, pyxidem sacram immediate in tabernaculum deponit, genuflectit, descendit in planum, deponit velum et genuflexus in infimo gradu recitat lingua vulgari cum adessentibus alternatim: „Niech będzie Bóg uwielbiony“! etc. ut supra, hoc expleto surgit, accedit ad altare, genuflectit, claudit tabernaculi ianuam. Sic danda est privata cum sacra Pyxide benedictio. *S. R. C. 3402. 1; 2786. 1; 3582. 1; 3780. 1; 3888. 3. Sacrae Liturgiae Praxis de Herdt. vol. II 32.*

In benedictione cum Sacra Pyxide omitti potest thurificatio, sed non est omittenda in benedictione cum Ostensorio. *S. R. C. 2957.*

Si Sanctissimum Sacramentum non est publice expositum intra Missam ratione solemnitatis, tunc ad supplicationes „Święty Boży“ etc. apud nos solitas cantari, expositio Ssmi hoc, qui sequitur, modo est facienda: finita Missa, i. e. *ultimo evangelio recitato*

Celebrans aperit tabernaculum, genuflectit, Sacram Pyxidem clausam et suo velamine obductam ac ita fidelium oculis facile patentem derelinquit in tabernaculo, neque illam extrahit, neque illam supra altaris mensam deponit (*S. R. C. 2725. 4; 3394. 1*), sed tabernaculo discooperto genuflectit, descendit in planum, genuflexus utroque genu in gradu infimo profunda capitis inclinatione devote Ssmum adorat, surgit, imponit incensum, genuflectit, thurificat, ante et post capitis facta profunda inclinatione, Sanctissimum, reddit thuribulum, tunc cantum incipit „Święty Boże“ etc. Supplicationibus his et Psalmo ubi mos est, „Bóg nasz ucieczką“ plane absolutis celebrans cantat „Tantum ergo“, postea „Genitori Genitoque“ et hic, ut supra iam est indictum, surgit, imponit incensum, genuflexus incensat Ssmum, dein cantat versum „Panem de caelo“ (temp. Pasch. et per. oct. Corp. Chr. cum „Alleluja“) denique „Oremus, Deus qui nobis sub Sacramento etc.“ Nunc genuflexus imponendum sibi supra humeros facit velum, surgit, accedit ad altare, genuflectit, accipit de tabernaculo Pyxidem Sacram, non illam supra altaris mensam ponit, sed manu tenens, altera cooperit illam veli humeralis extremitatibus et sic cum Sacra Pyxide parata vertitur ad populum ill'que in silentio, sola campanula *suaviter* pulsante, reverenter benedicit. Data benedictione immediate in tabernaculum ponit Celebrans Pyxidem sacram, genuflectit, descendit in planum, genuflexus in infimo gradu incensat, recitat alternatim cum populo: „Niech będzie Bóg uwielbiony!“ etc., dein cantat consuetam salutationem „Niech będzie pochwalony Przenajświętszy Sacrament“ surgit, accedit ad altare, genuflectit, claudit tabernaculum.

Hae sunt regulae, a quibus volumus ac mandamus, ut nemo Vestrum declinare nec illas parvi pendere audeat. Sequamini illas illarumque populum Vestrum conscium reddere studeatis! Circa rem sanctissimam, circa Amantissimum Salvatorem ac Magistrum

nostrum regulae hae versantur; sciatis proinde Vos hortamur: ad illas observandas Vos, Coadiutores Nostri, Vestramque diligentiam iterum atque iterum excitare numquam Nobis satis! In omnibus, in his autem praecipue, ut floreat sancta unitas est necesse!

Adhuc quaedam sunt corrigenda:

1. Vesperae tempore Quadragesimae, non infra Missam, cantato scilicet „Pax Domini sit semper vobiscum“, inchoandae sunt, sed omnino finita Missa, i. e. perlecto ultimo evangelio et accepto loco casulae pluviali; tunc non nisi, numquam prius, Vesperae sunt inchoandae et invocatio „Deus in adiutorium meum intende“.

2. Vesperae sunt celebrandae eodem ritu, quo recitari solent: nihil omittendo, nihil abbreviando. Antiphonae et hymnus cantari debent et recitari possunt ab organista, si Celebrans ipse ob defectum scientiae cantus id perficere nequit. In cantandis, vel recitandis antiphonis observanda est semper dignitas ritus, sive sit duplex, sive semiduplex. Non sola oratio propria, sed cantandae sunt etiam, si quae adsint, commemorationes cum antiphonis suisque versibus.

3. Vesperae, quae ad devotionem populi Dominicis et Festis cantantur in Ecclesiis mere parochialibus, ubi non est obligatio Chori, cantari possunt de quolibet officio; dummodo ii, qui ad Horas Canonicas tenentur, privatim recitent illas de Officio occurrente. *S. R. C. № 3624. 12.*

4. Sermo, sive praedicatio Verbi Dei, ubi intra Missam fieri solet, non post, sed ante Credo fieri debet, cantato scilicet evangelio incipitur concio et illa pronuntiata cantandum est Credo. *S. R. C. 98,*

5. Post quamlibet Missam lectam praescriptis a Summo Pontifice Leone XIII precibus adiungi hic solet salutatio: Benedictus Deus etc. Retinendam esse volumus hanc piam invocationem, sed illius recitandae

modum esse mutandum: non lingua latina, sed vernacula, neque solus Sacerdos, sed alternatim cum populo, singulos versus a Sacerdote prolatos repetente has Divini Nominis Laudes, mandamus, ut in posterum recitet.

### **Ultima denique accedit res**

Vobis, Dilectissimi Ecclesiarum Rectores, hic a Nobis commendanda: regulas nempe supra expositas in libros a Vobis brevi procurandos ad illorum caput, prooemii instar transferri faciatis. Quod Vobis Vestrisque successoribus magno commodo et utilitati erit.

---



## In Nomine Domini. Amen.

V. S.  
N. S.  
Col.

### JANUARIUS XXXI dierum.

- 1 14 A. Sab. **CIRCUMCISIO** et Oct. Nat. Dni. dx. 2 cl. Off. et Missa pr. Hym. term. *Jesu . . . Qui natus* es. usq. ad Epiph. exclus. Gl. Cr. Prf. et Comcant. Nativ.—In Vesp. com. seq. ttm. orat. pr.  
*Cras annunt. pop. fest. Epiph. Dni fer. 5 seq.*
- 2 15 R. **Dom. Vacat.** Octeva S. Stephani Prtm. dx. com. oct. S. Joan. et Ss. Innoct. Mm. Gl. Cr. Prf. Nat. sine Comcant.—Vesp. a cap. de seq. com. praec. et Ss. Innocent. Mm.
- 3 16 A. F. 2. Octava S. Joan. Ap. et Evang. dx. com. Ss. Innoc. Mm. Gl. Cr. Prf. Ap. — In Vesp. com. seq.
- 4 17 R. F. 3. Oct. Ss. Innocent. Mm. dx. In 3 N. loco ant. *Tradiderunt*. dic. *Isti sunt*. in B. 8 addtr. *Glor. Patri* et omisso 9 B. dic. *Te Deum*. Gl. ttm. Post Grad. dic. *Allel.* et V. seq. Tract. omtr. Prf. Nativ. — In Vesp. com. seq. et S. Telesphori P. M.
- 5 18 A. F. 4. Vigilia Epiph. (sine jejun.) De ea sdx. Off. ex Circumc. Dni et pr. loco, com. S. P. M. (*sine Suffr. et prec.*) Gl. 3 or. B. *Deus qui salut.* (sine Cr.) Prf. Nativ. sine Comcant. Vesp. de seq.—Hym. per tot. oct. term. *Jesu tibi sit gloria, Qui apparuisti.* Per tot. oct.

JANUARIUS.

Epiph. prohib. *Missae vot.* et *Defunct.* except. una pro re gravi ab Ordinario approbata. vel *Requiali* praes. corp. quae tamen ipso Epiph. die celebrari nequeunt.

6 19 A. F. 5. **EPIPHANIA DNI** dx. 1 cl. cum oct. Off. pr. Mat. dicto *Pater... Ave... et Credo...* incip. absol. ab Ant. *Afferte.* V̄. ad Prim. *Qui apparuisti.* per tot. oct. *Ante Miss. solemn. bened. auri, myrr. et thuris ex Rituali.* In Missa Gl. Cr. Prf. et Comcant. pr. per tot. oct. — Vesp. de seq.

*Cras aperiuntur solemn. nuptiarum.*

1. *Kamionka. Epiphania Dni.* — *Titul. Eccl. omnia ut per dioec.*

7 20 A. F. 6. De oct. sdx. Deinceps dic. *Invit.* et hymn. ad Matut. Off. ut heri et in die 2 infra oct. in 3 N. ant. *Homo* et ps. *Fundamenta* loco ps. *Venite* per tot. oct. ad *Benedict.* et *Magnif.* ant. pr. quotid. Gl. Cr. per tot. oct. 2 or. B. 3 *Eccl.* vel pro Papa. quae habentur Dom. II post Epiph. — Vesp. de oct. ut 2 dae.

8 21 A. Sab. De oct. sdx. Off. ut heri. Ll. I, 2 et 3 N. ut in die 3 infra oct. — Vesp. a cap. de Dom. com. oct. Ant. *Lux de luce.* V̄. *Omnes de Saba.*

2. *Vesp. de seq. com. Dom. et oct.*

9 22 A. **Dom. infra oct. et I post. Epiph.** sdx. Off. ut in fest. et pr. Ll. 1 N. *Inc. Epist. I ad Corinth.* B. I. *Hodie.* com. oct. Gl. Cr. Prf. etc. oct. — In Vesp. com. oct.

2. *Anniv. Dedic. Eccl. dx. 1 cl. cum oct. 9 l. et com. Dom. ac oct. Gl. Cr. Prf. et Comcant. de Epiph. ult. Ev. Dom.* — *In Vesp. com. Dom. et oct.* — *Per tot. oct. die Gl. Cr. et fit. com. Dedic. in Vesp. Laud. et Missa usq. ad Dom. seq. inclus.*



JANUARIUS.

- |    |    |   |
|----|----|---|
| 10 | 23 | A. F. 2. de oct. sdx. Ll. 1 N. <i>ex Ep. 1 ad Corinth.</i> reliq. ut in die 4 oct. — In Vesp. com. S. Hygini P. M.  |
| 11 | 24 | A. F. 3. de oct. sdx. Ll. 1 N. <i>ad Corinth.</i> vel. ut in 5 die infr. oct. com. S. Hygini P. M. in Laud et Missa, 3 or. de B. M. V.  |
| 12 | 25 | A. F. 4. de oct. sdx. Ll. 1 N. <i>ad Corinth.</i> vel. ut in 6 die infr. oct.—Vesp. de seq. ut 1mae or. pr.   |
| 13 | 26 | A. F. 5. Octava Epiph. dx. Ll. 1 N. <i>ad Corinth.</i> R. 1m. <i>Hodie.</i> Gl. Cr. — In Vesp. com. seq. et S. Felicis M.   |
| 14 | 27 | A. F. 6. S. Hilarii Ep. C. E. D. dx. <i>v. h. m.</i> 9 l. et com. S. Felicis M. Gl. Cr. Prf. <i>Comnis.</i> —In Postcom. dicatur: <i>beatus Hilarius Pontifex tuus. et Doctor egregius, quaesumus, precator. etc.</i> —Vesp. a cap. de seq. com. praec. et S. Mauri Ab. |
| 15 | 28 | A. Sab. S. Pauli pr. Erem. C. dx. 9 l. et com. S. Mauri Ab. Gl.—Vesp. de seq. com. praec. Dom. et S. Marcelli P. M. <i>Smplf. (Drohiczyn Vesp. de seq. com. praec. oct. ut 1mae, Dom. et S. Marcelli P. M.)</i> Hym. term. <i>Jesu... Qui natus.</i>                    |
| 16 | 29 | A. <b>Dom, 2 post. Epiph.</b> Ss. Nominis Jesu dx. 2 cl. 9 l. et com. Dom. ac S. Marcelli P. M. <i>(Drohiczyn com. oct. Dom. et S. P. M.)</i> ad Prim. <i>Ÿ. Qui natus.</i> Gl. Cr. Prf. <i>Nativ. ult. Ev. Dom.</i> —In Vesp. com. seq. Dom. et S. Marcelli P. M.      |
| 17 | 30 | A. F. 2. S. <b>Antonii</b> Ab. C. dx. Gl. — Vesp. de seq. com. S. Pauli Ap. praec. et S. Priscæ V. M.   |
| 18 | 31 | A. F. 3. <b>Cathedrae Rom. S. Petri</b> Ap. dxm 9 l. S. V. M. com. S. Pauli Ap. et S. V. M. Gl. Cr. Prf. Ap.—Vesp. de seq. sine com. ulla.  |

Feb.

J A N U A R I U S.

- 19 1 R. F. 4. S. Henrici Ep. M. P. R. S. dx. 1 cl.  
Ll. 1 N. *et Mileto*. Gl.—In Vesp. com. seq.
- 20 2 R. F. 5. Ss. Fabiani et Sebast. Mm. dx. Ll. 1 N.  
*Inc. Ep. 2 ad Corinth.* ex Dom. praec. Gl.—  
Vesp. a cap. de seq. com. praec.  
(3 *Vesp. de seq. ttm.*)
- 21 3 R. F. 6. S. Agnetis V. M. dx. Gl. — In Vesp.  
com. seq.  
3. *S. Agnetis V. M. Titul. Eccl. dx 1 cl.*  
*cum oct. Celebre. Gl. Cr.—In Vesp. com. seq.*  
*Per. tot. oct. addtr. com. Titul. in Off. et*  
*Missa et dñc. Cr. 22 huj. Suffr. et prec.*  
*omtr.*
- 22 4 R. Sab. Ss. Vincentii et Anast. Mm. sdx. Suffr.  
ad Prim. prec. Gl. 2 or. *Deus qui salut.* 3  
Eccl. vel pro Papa. Vesp. de seq. com. Dom.  
praec. et S. Emerentianae V. M.—Hym. term.  
*Jesu... Qui natus.*
- 23 5 A. **Dom, 3 post. Epiph.** Sanctae Familiae Jesu,  
Mariae, Joseph dxm. 9 l. et com. Dom. ac S.  
Emerentianae V. M. ad Prim.  $\sqrt{}$ . *Qui natus.*  
Gl. Cr. Prf. de Nativ. ult. Ev. Dom.—In Vesp.  
com. seq. et Dom.
- 24 6 R. F. 2. Translatio S. Erixi R. M. P. R. S. dx.  
Gl. — Vesp. de seq. com. S. Petri Ap. et  
praec.
- 25 7 A. F. 3. Conversio S. Pauli Ap. dxm. com. S.  
Petri Ap. Gl. Cr. Prf. Ap.—In Vesp. com. S.  
Petri Ap. et seq.
- 26 8 R. F. 4. S. Polycarpi Ep. M. dx. Gl. — Vesp. a  
cap. de seq. com. praec.
- 27 9 A. F. 5. S. Joannis Chrysostomi Ep. C. E. D.  
dx. Gl. Cr.—Vesp. de seq. com. S. Joseph et  
praec. et S. Agnetis 2do — Hym. term. *Jesu...*  
*Qui natus.*  
(4. *Vesp. a cap. de seq. com. praec.*)

F E B R U A R I U S.

- 28 10 A. F. 6. Desponsatio B. Mariae V. dxm. *pro aliq. loc.* 9 l. S. Agnetis 2do, com. S. Joseph. et S. V. M. ad Prim. *V̄. Qui natus.* Gl. Cr. Prf. B. *in Desponsatione.* — In Vesp. com. S. Joseph. et seq.  
*4. R. Octava S. Agnetis V. M. dx. Ll. 2 N. 1ma pr. 2da et 3tia de Coi Virg. 1 loco. Missa ex 28 Jan. Gl. Cr.—Vesp. de seq. com. praec.*
- 29 11 A. Sab. S. Francisci Salesii Ep. C. E. D. Patr. dioec. dxm. *v. h. m.* Ll. 1 N. *Sapientiam.* Gl. Cr.—In Vesp. com. Dom. et S. Martinae V. M. *Smplf.*
- 30 12 Virid. **Dom. 4 post. Epiph.** de ea sdx. ut in Psalt. et pr. loco; ad Mat. hymn. *Primo.* ad Laud. *Aeterne;* 9 l. (ex 3bus conj.) 2 N. et com. S. Martinae V. M. Suffr. ad Prim. 4 psalm. Symb. et prec. Gl. Cr. 3tia or. B. *Deus qui salut.* Prf. Trin. *Hod. annunt. pop. jejun. consuet. fer. 3 et fest. Purificat. B. M. V. fer. 4 seq.* — Vesp. de seq. com. Dom. et S. Martinae V. M.
- 31 13 A. F. 2. S. Petri Nolasci C. dx. Gl. — Vesp. a cap. de seq. com. praec.

FEBRUARIUS XXVIII dierum.

- 1 14 A. F. 3. *Jejun. consuet.* S. Brigidæ V. P. R. P. dx. Gl. — Vesp. de seq. com. praec. Hymn. term. *Jesu tibi. . . Qui natus.*
- 2 15 A. F. 4. **PURIFICATIO B. M. V.** dx. 2 cl. *Celebre.* Ad Prim, *Qui natus.* Gl. Cr. Prf. Nativ. Ante Miss. solemn. *benedictio* candelar. (ex cera alba) in cantu ex Missali in col. viol. In altari sex cand. accend. Celebr. amictu, alba,

F E B R U A R I U S.

cingulo, stola et pluviali viol. induit. accedit ad altare, oscult. illud. in medio et manib. semper junct. in cornu Ep. cant. ad *Oremuset Jesu* caput cruci inclin.—De caeter. vid. rubr. Missalis.— Processio in eod. color. nisi fiat cum SS-mo, tunc enim in col. albo. Candelae accensae prae manib. tenent. ad Processionem. In Evang. et a Sanctus ad Commun. inclus. In Miss. solemn. cum ministris solus sacerdos sub cantu Evangelii candelam prae manu tenet, eamq. accipit post benedic. diaconi ac dimitt. ante osculum libri.

In Vesp. com. seq. et S. Blasii Ep. M. — Post Vesp. in choro dic *Alma*. Post Compl. *Ave Regina*.

3 16 R. F. 5. S. Timothei Ep. M. (d. a. ex 24 Januar.) dx. 9 l. et com. S. Blasii Ep. M. Gl.— Vesp. a cap. de seq. com. praec.

4 17 A. F. 6. S. Ansgarii Ep. C. P. R. S. dx. Gl. — Vesp. a cap. de seq. com. praec.

5 18 R. Sab. S. Agathae V. M. dx. Gl. — *Benedictio panis et aquae intr. Miss. ex. Rituali.*—Vesp. a cap. de seq. com. praec. et Dom.

(5. Vesp. de seq. com. Dom. ttm.)

6 19 R. **Dom. 5 post, Epiph.** S. Dorotheae V. M. P. R. P. dx. 9 l. et com. Dom. Gl. Cr. Prf. Trin. ult. Ev. Dom. — Vesp. a cap. de seq. com. praec. et Dom.

5. S. Dorotheae V. M. Titul. Eccl. dx. 1 cl. cum oct. Ll. 1 N. Confitebor. 9l. et com. Dom. Gl. Cr. Prf. Trin. ult. Ev. Dom. — In Vesp. com. seq. et Dom. Per oct. usq. ad Dom. seq. inclus. fit com. Titul. in Off. et Miss. ac dic Credo.—13 huj. Suffr. et prec. omittr. 3 or. Titul.

F E B R U A R I U S.

- |    |    |   |
|----|----|---|
| 7  | 20 | A. F. 2. S. Romualdi Ab. C. dx. Gl. — Vesp. a cap. de seq. com. praec.  |
| 8  | 21 | A. F. 3. S. Joannis de Matha C. dx. Gl. — Vesp. a cap. de seq. com. praec.  |
| 9  | 22 | R. F. 4. S. Apolloniae V. M. P. R. P. dx. Gl. Vesp. a cap. de seq. com. praec.  |
| 10 | 23 | A. F. 5. S. Scholasticae V. dx. Gl. — Vesp. de seq. com. praec. Hymn. term. <i>Jesu tibi. . . Qui natus.</i>  |
| 11 | 24 | A. F. 6. Apparitionis B. M. V. Immaculatae dxm. ad Prim. <i>Ÿ. Qui natus.</i> Gl. Cr. Prf. B. <i>Et Te in Conception. Immac.</i> — In Vesp. com. seq.   |
| 12 | 25 | R. Sab. S. Ignatii Ep. M. (d. a. ex 1 huj.) dx. 9 l. et com. Dom. 6 post Epiph. (ant. et or. Dom. <i>Ÿ. Repleti.</i> ) Gl. ult. Ev. Dom. — In Vesp. com. Dom. Septuag. et S. Andreae Corsini Ep. C. (d. a. ex 1 huj.) <i>simplf.</i> Post <i>Bened. Dno.</i> addtr. duo <i>Alleluja.</i> cujus loco abhinc init. horar. (hod. Compl.) die <i>Laus Tibi Dne.</i> |
| 13 | 26 | Viol. <b>Dom. Septuages.</b> 2 cl. De ea sdx. Off. ex Psalt. et pr. com. S. Andreae Ep. C. (sine lect.) Suffr. ad Prim. 4 psl. (loco <i>Confitemini</i> dic <i>Dnus regnavit.</i> ) cum Symb. et prec. Miss. pr. (sine Gl.) 3 or, <i>A cunctis.</i> Tractus. Cr. Prf. Trin. — Vesp. de seq. com. Dom. S. Andreae Ep. C. et S. Valentini M.                      |
| 14 | 27 | R. F. 2. Ss. Viginti sex Mm. Japonen. (d. a. ex 5 huj.) dx. pro aliq. loc. com. S. Valentini M. Gl. — Vesp. de seq. com. praec.   |
| 15 | 28 | A. F. 3. S. Sigfridi Ep. C. dx. 2 cl. Ll. 1 N. <i>Fidelis.</i> 9 l. et com. Ss. Faustini et Jovitae Mm. in Laud. et Miss. priv. ttm. Gl. — In Vesp. com. seq.   |
| 16 | 1  | A. F. 4. S. Titi Ep. C. (d. a. ex 6 huj.) dx. Gl. — Vesp. de seq. com. praec. — Hymn. term. <i>Jesu tibi. . . Qui natus.</i>  |

F E B R U A R I U S.

- 17 2 A. F. 5. Fugae D. N. J Chr. in Aegyptum dxm.  
*pro aliq. loc.* Gl. Cr. Prf. de Nativit. — In Vesp.  
com. seq. et S. Simeonis Ep M.
- 18 3 A. F. 6. S. Cyrilli Ep. Alexandrini C. E. D. (d.  
a. ex 9 huj.) dx. *v. h. m.* 9 l. et com. S. Si-  
meon Ep. M. Gl. Cr. — Vesp. a cap. de seq.  
com. praec.
- 19 4 A. Sab. Ss. Septem. Fundatorum Ord. Servorum  
B. M. V. Conf. (d. a. ex 11 huj.) dx. Gl. —  
In Vesp. com. Dom. Sexag. et S. Canuti R.  
M. (d. a. ex 19 Jan.) *smplf.*
- 20 5 Viol. **Dom. Sexages.** 2 cl. De ea sdx. Off. ex  
Psalt. et pr. com. S. Canuti R. M. (sine lect.)  
Suffr. ad Prim. 4 ps. Symb. et prec. Missa pr.  
Cr. 3 or. *A cunctis.* Prf. Trin.—In Vesp. com.  
seq. et S. R. M. Suffr. ad Compl. prec.
- 21 6 A. F. 2. S. Raymundi de Pennafort C. (d. a. ex  
23 Jan.) sdx. *v. h. m.* Suffr. ad Prim. prec.  
Gl. 2 or. *A cunctis.* 3 ad. libit. Vesp. de seq.  
com. praec.
- 22 7 R. F. 3. Commemoratio Passionis D. N. J. C.  
dxm. *pro al. loc.* Gl. Cr. Prf. †—In Vesp. com.  
seq.
- 23 8 A. F. 4. S. Petri Damiani Ep. C. E. D. dx. 9 l.  
et com. Vigil. Gl. Cr. — Vesp. de seq. com.  
praec.
- 24 9 R. F. 5. (M. P.) S. Mathiae Ap dx. 2 cl. Gl.  
Cr. Prf. Ap.—In Vesp. com. seq.
- 25 10 R. F. 6. Orationis D. N. J. C. in monte Oliveti  
(ex fer. 3 post Dom. Septuag.) dxm. *pro al.*  
*loc.* Gl. Cr. Prf. †—In Vesp. com. seq. et S.  
Paul Ap.
- 26 11 A. Sab. Cathedrae S. Petri Ap. Antiochiae (d.  
a. ex 22 huj.) dxm. com. S. Pauli Ap. Gl. Cr.  
Prf. Ap.—In Vesp. com. S. Pauli Ap. et Dom.  
Quinquag.—*Cras annunt. pop. d. Ciner, et*

M A R T I U S.

- Jejun. Quadr. ac fest. S. Casimiri C. fer. 6 seq.*
- 27 12 Viol. **Dom. Quinquag.** 2 cl. De ea sdx. Off. ex Psalt. et pr. Suffr. ad Prim. 4 ps. Symb. et prec. Missa pr. Cr. Prf. Trin.--In Vesp. Suffr. ad Compl. prec. *ant:* com. Off. vot. Suffr. ad Compl. prec.
- (6. *Vesp. de seq com. S. Joseph. et Dom.*)
- 28 13 Viol. F. 2. De ea ut in psalt. et pr. com. † Suffr. ad Prim. 4 ps. prec. Dominic. In Missa 2 or. *Fidel. 3 A cunctis. Vel. recit. potest:* Off. de Ss. Angelis sdx. Suffr. ad Prim. prec. Gl, 2 or. *A cunctis. 3 ad libit. Vesp. de seq. com. praec. (Off. vot.) Hymn. term. Caeso flagellis gloria.*
- A. 6. *Desponsatio B. M. V. dxm. pro al. loc. loc. ex 23 Jan. com. S. Joseph. Gl. Cr. Prf. B.—Vesp. de seq. com. praec. et S. Joseph.*

MARTIUS XXXI dierum.

- 1 14 R. F. 3. *Sacrae Columnae Flagellationis D. N. J. C. dxm. pro al. loc. Gl. Cr. Prf. † In Vesp. com. S. Helenae Vid. p. R. P. simplf.*  
*Incipit Sacrum Quadrag. Jejun. Hodie clauduntur. solemn. nuptiarum.*
- 2 15 Viol. F. 4. *Cinerum.* De ea splx. Offic. ut in Psalt. per an. et pr. ad Laud. et omnes hor. prec. fer. com. S. Helenae Vid. et † Suffr. ad Prim. 4 ps.—Ante Miss. solemn. benedic. ex Missali et imposit. cinerum atq. Processio cum cantu Litan. de OO. SS. Missa pr. sine Gl. sine Cr. 2 or. S. Helenae Vid. 3 *A cunctis.* Prf. Quadrag. in fine *Humiliate* et *Bened. Dno.*

M A R T I U S.

Vesp. de fer. 4 ut in Psalt. prec. fer. com. S. Helenae Vid. et † Suffr. ad Compl. prec. *Ant.* Vesp. de seq. com. fer. ant. pr. *Ÿ. Dirigatur.* et S. Helenae Vid. Suffr. ad Compl. prec.

Nota: *Per tot. Quadrag. et in oo. fer. IV Temp. ac Vigil. per. annum si Offic. fit de festo in Cath. cant. duae Missae conv. 1ma de festo post Tert. sine com fer. 2da de Feria post Nonam sine com. festi, in utraq. ult. Ev. S. Joan.*

3 16 Viol. F. 5. De ea splx. Offic. ex Psalt. et pr. prec. fer. ad Laud. et oo. hor. com. † et Suffr.

*Vel. recit. potest:* Off. vot. de Ss. Sacram, sdx. Ll. 1 N ex festo, 9 l. et com. fer. Suffr. *Ÿ.* ad Prim. *Ÿ. Qui natus.* et prec. Missa votiv. *Cibavit.* Gl. 3 or. *A cunctis.* Tractus. Prf. Nativ. ult. Ev. fer.

Vesp. de seq. com. fer. ttm.

4 17 A. F. 6. **S. CASIMIRI** C. P. M. D. L. dx. 1 cl. cum oct. Ll. 1 N. *Justus.* 9 l. et com. fer. Gl. Cr. Prf. Quadr. ult. Ev. fer. — In Vesp. com. seq. et fer. *In Cath. per 3 seq. dies Oratio 40 horarum.*

In bulla sua pontifex his verbis collaudat pietatem et largitatem Haedvigis et Jagiellonis: „qui, in quodam loco populoso, Vilna nuncupato, in quo tam ipse ante baptismo, quam Lituani et alii infideles in quodam fano vana deorum et idolorum nomina superstitiose colebant, huiusmodi fanum subvertit, idola confregit, et in eodem loco quandam ecclesiam in honorem Ss. et individuae Trinitatis, ac Gloriosae Dei Genitricis Virginis Mariae et B. Stanislai M. erigi fecit ipsamque sufficienter dotavit;—pro praemissis certos redditus assignavit. Quodque ipse rex propter multitudinem credentium ad fidem ipsam conversorum, ut in fide ipsa roborentur, desiderat: quod locus ipse in civitatem et ecclesia praefata in cathedralem erigantur; et si huiusmodi erectio (dioecesis) fiat pro dote ipsius ecclesiae plures et sufficientiores redditus assignari proponit... Nos igitur Auctoritate Nostra per apostolica scripta comittimus, quatenus de praemissis te<sup>1)</sup> diligenter informes et si per informationem tibi constiterit, quod huismodi redditus sufficiant pro praemissis et locus ac ecclesia praedicti sunt apti et idonei sunt, ut locus in civitatem et ecclia ipsa pro cathedrali erigantur, et ut praeficiatur ibidem aliquis in Eppum“. Vigore huius bullae Dobrogostius eodem anno 7 die Mai erectionem vilnensis dioeceseos promulgavit subiiciens eam regimini metropolitano Archieppi Poznaniensis et Andream Wasillo episcopum Ceretensem in sedem vilnen. introduxit; atque duas praelaturas praepositi scilicet et decani creavit; pro creandis vero 10 canonicis facultatem episcopis vilnensibus pro tempore existentibus concessit.

Creatio dioecesis et sedis episcopalis novarum gratiarum et donationum Jagielloni uxori que eius pie

---

1) Dobrogostium alloquitur.

Hedvigi occasionem et incitamentum dedit; unus prae altero piissimi in rem divinam coniuges ditabant et ornabant ecclesias et episcopatum vilnensem. Pro sustentatione episcopi vilnensis et ecclesiae cathedralis Jagiello legavit: arcem Taurogno, cum attinentiis et dominia Labonary, Malaty; Trebunam et Clodno (in distr. Brestensi); Wasilowo et Jarynicze (in distr. Drohicinen); Wachatniczam (in distr. Dubnensi); Hermaniszki (Biskupice in distr. Lid.); Bakszty (distr. Oszmianensis) et totum districtum Dombroviensem; insuper Werki prope Vilnam et 4 domos in arce Vilnensi inferiori multosque hortos et plateas Vilnae. Donationes has auxit Witoldus, partim commutando pro bonis episcopis minus proficuis ob remotam a Vilna situationem; uti Trebuna, Clodno, Wasilowo, Wachatnicza et Jarynicze; partim nova dominia condonando: Mitleykowo (distr. Krewens); Bluze cum toto districtu Swisloczensi, Ihumeń cum toto districtu, Lubar et multos colonos et subditos, cum fluviis, lacubus, gais et boris etc.

Pro educando clero Haedvigis fundavit collegium Lituani Pragae: ad sustentandos videlicet 12 alumnos statum clericalem aspirantes et studiis theologicis et philosophicis in universitate pragensi operam navantes. Quod vero spectat pueros praesertim sacro assistentes et psalteristas; pro iis in rudimentis educationis instituendis scholae parochiales penes ecclesiam cathedralem et alias condebantur; harum scholarum magistri erant clerici et officiales ecclesiastici, vel etiam baccalaurei pretio conducti

Una cum ecclesiis Jagiellonicis vilnensibus conditae sunt ab eodem Jagiellone annis sequentibus ecclesiae et in provincia: scilicet Wilkomiriae, Nemenczyno, Missogolae, Miednicis, Krewi, Obolsciis, Hajnae, Oszmianae et Bystrzycae. His accedunt fundationes et donationes ecclesiarum Witoldianae. Witoldus enim, a. 1392 pactis compositis cum Jagiellone rerum potitus est in Lituania et Magnus Dux Lituaniae factus, religioni catholicae addictissimus erat et, tam ecclesias,

quam clericum multis ditavit bonis et privilegiis; eo regnante conditae sunt ecclesiae: Vilnae S. Annae, Brestii, Neo Trocis, Caunae, Grodnae, Nowogrodci, Magnis Soleczniciis, Geranonis, Kiernoviae etc., ut in registro dioecetano ecclesiarum videre est.

Columna et luminar ecclesiae catholicae, intrepidus crucigerorum et aliorum hostium debellator, Witoldus non solum a mari Baltico usque ad flumen Borystenem construxit et ditavit ecclesias catholicas clericumque catholicum paterno favore tutabat; sed, qua vicarius apostolicus Lituaniae, etiam et Ruthenos ecclesiae catholicae conciliare studuit — idque evitando omnem vim et coactionem, sed sola via clementiae et prudenti usu favorabilium circumstantiarum. In edicto suo ad tiwunos aliosque ordinis publici custodes, causa visitationis canonicae ab episcopo vilnensi in provincia persolvendae edito, iubet eos, ut episcopo eiusque clero omnem praestarent opem et succursum, omnes Lituanos coram episcopo congregandos et baptisantes. Ruthenis vero proprio eorum arbitrio baptisma esse relinquendum.

Notissima est apud nos, et semper clero catholico exprobrata, quaestio rebaptisandi Ruthenos tempore conversionis Lituaniae. Postpositis casibus singularibus et spontaneis, si quaestio dilucidetur in principiis theologicis, huiusmodi baptisma nunquam locum haberet, si certum esset baptisma Ruthenorum fuisse collatum iuxta ritum orientalis ecclesiae, quem ecclesia catholica nunquam reprobavit; imo iam a temporibus S. Cypriani dilucide declaravit acatholicos in Nomine SSS. Trinitatis baptisatos non esse rebaptisandos sub poena excommunicationis. Incredibile dictu, ut primitivus clerus catholicus in Lithuania hanc regulam ignoraret; sed si aliquem rebaptisaret, exinde hoc effluebat, ut dubitaretur an rite iuxta regulas orientalis ecclesiae baptisma collatum esset; baptisabant enim persaepe monachi et clerici ex oriente, quos in occidentali Europa de haeresi manicheorum suspiciebant. Ambi-

gua itaque et perplexa erat haec quaestio usque ad Alexandrum papam VI (1492—1503); donec tandem re bene perpensa speciali bulla huiusce pontificis statutum est: „omnes et singulos sic in tertia persona baptisatos (scilicet more orientali:—baptizetur servus Dei...), volentes a ritu graeco ad ritum et morem Latinae et Romanae ecclesiae venire, simpliciter et sine alia contradictione, aut etiam obligatione, vel coactione, quod denuo rebaptisarentur.. facta prius tantum per eos omnium errorum.. abiuratione: admitte-ndos fore... Venerabili fratri meo episcopo Vilen- si in virtute S. obedientiae comittimus et mandamus, quatenus omnes et singulos sic baptisatos et ad unitatem praefatae latinae ecclesiae venire et errores praedictos abiurare volentes... per se vel per alium, seu etiam alios saeculares praelatos ecclesiasticos, seu praedicatorum aut minorum ordinum regularis observantiae professos, doctos et probos, ac alias idoneas (personas), quibus id duxerit comittendum, recipiat et admittat, ac tum sibi, quam illi, vel illis, cui, vel quibus, quoties expedierit et duxerit singulos praefatos sic venientes... ab haeretica pravitate, excommunicatione aliisque censuris et poenis dicta apostolica auctoritate absolvendi, ac eis pro modo culpae poenitentiam salutarem iniungendi... Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, declarationis, commissionis, exhortationis, mandatae concessionis, voluntatis et decreti infringere, vel ausu temerario contraire. Si quis haec temptare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Ap- to- lorum eius, se noverit incursum. Datum Romae a. d. 1501 decimo calend. septembr.

Exortae sunt tempore Witoldi inter Ruthenos discordiae Metropolitanae Kioviensis Photii causa. Hic aviditate sua corda cleri se avertit: et sedem suam Kiovia Moscuam transferens, etiam et mentes populi abalienavit. Witoldus occasionem hanc arripiens, ut ecclesiam ruthenam catholicae appropriaret, concilium

ruthenum a. D. 1415 in urbe Nowogrodek convocavit; in hac synodo collatis consiliis et votis clerus ruthenus selegit metropolitam Cymblicum unionis ecclesiarum fautorem; Cymblicus qua metropolita Kioviensis Limina apostolorum visitavit suamque et commissae sibi ecclesiae unionem cum Romana protestatus est. Sic posita sunt fundamenta S. Unionis.

Nec defuerunt tamen fidei catholicae inimici, tam ex ruthenis, quam et ex ethnicis Lituanis, qui armato brachio et vi in clericos catholicos praecipue irruerant. Sacranus chronicarius coactaneus eppi Taboris dicit tantam invidiam et odium inter Ruthenos erga catholicos invaluisse, ut periurium in damnum catholici commissum et ipsum damnum perpetratum catholico pro peccato non imputaretur, etc. Insuper incursiones Russorum, qui a. 1406 multos franciscanos una cum eorum guardiano Patre Angelo crudeliter trucidarunt in monasterio vilnensi in areis; et Tartarorum atque crucigerorum, qui provincias Lituaniae igne et gladio devastabant, magno impedimento erant, quin fides, cultus et educatio catholica fauste et ordinate cresceret. Visitatio tam vastae et parum post excidia hostilia incolatae dioecesis per vias arduas et silvestres multo cum discrimine adimpebatur. Etsi immunitati epporum consulens Witoldus praefectos ordinis publici sub poena capitali iusserit eppis tutamen et opem ferre, tamen episcopus Plichta (vide Direct. 1904) ab ethnicis raptus vix se precibus ab iisdem salvavit. Non est proinde mirum eppos vilnenses ad defensionem vitae gladium secum portasse, quod ius et a Smo pontif. Alexandro VI Pp. a. d. 1501 calend. Julii episcopo Tabori confirmatum fuit, non solum in signum potestatis civilis, qua episcopi vilnenses primi senatores et haeredes in Lituania pollebant, sed et ad tutamen vitae contra malevolos et latrones.

At non armis res divinae stabiliuntur et firmantur, ideoque eppi vilnenses magis in providentia et

brachio divino confidebant, cuius opem una cum populo die noctuque implorabant. In ecclesia cathedrali iam a temporibus episcopi Wassilonis incessanter preces persolvebantur, et cum sonore et clangore orchestrae psalmi decantabantur et hymni; extincto Zniczio ethnico ardebant faces et luminaria in altaribus Domini; ubi serpebant reptilia et mactabantur victimae e captivis simulacro Perkuni dicatae, dulcis resonabat cantus fidelium et una cum incenso elevabantur corda gratitudine repleta. „Ecclesia mea nunquam occluditur, dixit Wasillo legato crucigerorum, Comiti Kyburgo; semper ianuae patent, ut quivis fidelium adire possit et implorare auxilium et consolationem a Deo“. Quod dictum episcopi Kyburgus tanquam testis oculatus probavit optimumque in suo diario testimonium reddidit tam fidei, quam moribus catholicorum; dicens eos esse pios, sobrios, continentes se a lascivia et furti ignaros piaeque veneratione tractare episcopum et clerum. et filiali cum amore obedire mandatis ecclesiasticis. Fuit hoc anno 1397—decimo post conversionem.

Si tam optimus status Vilnae notabatur, minime hoc dici potest de provincia et praecipue Samogitia, ubi ob nimiam distantiam episcopi vilnenses coetus fidelium vix adire possent; quapropter multi ibidem vigeabant ethnici, et qui erant baptisati, parum sciebant rudimenta fidei; ob defectum sacerdotum linguae lituanicae peritorum instituebatur populus per interpretes, vel gesta et symbola consentanea. Witoldo gubernante Lituaniam apparuit frater Ordin. Camaldulensis Hieronymus Pragensis, qui Vilnae et in provincia evangelium praedicabat, sed quia lingua lituanica non callebat apostolatam suam in evertendis idolis et caedendis sacris nemoribus exequabatur, inde exosus ethnicis et a mulieribus ritui ethnico addictis apud Witoldum accusatus, iubente Witoldo e Lituania relegatus fuit. Reversus in Italiam coram concilio Basileensi et Sede Apostolica causam suam dixit multasque fabulas et naenias dictis

suis admiscuit: asserendo e. gr. Lituanos more quadrupedum ambulare, et in ursos permutari (wilkołaki?).

Dicunt etiam alterum Hieronymum pragensem apparuisse Vilnae et quidem philosophum et theologum placitis Wikleffii imbutum, a Hussitis post a. 1403 in Poloniam et Lituaniam missum, huncque in ecclesia S. Annae praedicasse; et propter haeresin e Vilna pulsum atque postea in Concilio Constanciensi crematum. At cum testimonia scriptorum non conveniant de identitate, vel diversitate, personae Hieronymi pragensis, remittimus curiosum lectorem ad Narbutum caeterosque rerum lituanarum chronicarios.

Indigentiae Samogitorum occurrentes patres concilii constanciensis, ad instantiam et preces Jagiellonis et Witoldi per 60 legatos samogitios a. 1416 sibi allatas, commiserunt Archiepiscopo Leopoliensi Joanni de Rzeszowo et Vilnensi Petro de Kustynia creationem dioecesis Samogitiensis. Delegati episcopi vota concilii adimpleverunt, sedemque episcopalem Miednicis (Wornis) erexerunt et Mathiam Trocensem, canonicum Vilnensem, a Witoldo praesentatum primum episcopum Miednicensem sub finem a. 1417 consecraverunt et in sedem episcopalem introduxerunt.

Separata dioecesi Miednicensi episcopi vilnenses et praecipue supra memoratus Mathias Trocensis (vide Dir. 1904), cordi habentes eruditionem populi in rudimentis fidei adhortabantur clerum, ut ipsemet disceret linguam lituanicam doceretque plebem sibi commissam lituanice; imo episcopus Mathias ignaros linguae lituanicae noluit consecrare, neque parochias ignaris committebat.

Pro adiumento et consilio in munere pastorali episcopi vilnenses utebantur tanquam senatu suo capitulo, quod initio e duobus praelatis et 10 canonicis creatum, per decursum temporis ad sex praelatos et 12 canonicos pertinexit; etenim: Sigismundus



M. D. L. a. d. 1435 creavit praelaturam Archidiaconiam, Casimirus Jagiellonides a. 1444 Custodiam et Sigismundus I. cum episcopo Joanne de ducib. Lit. Scholasteriam et Cantoriam a. d. 1522; Paulus episcopus dux Olszan. creavit duas canonicas.

Initio suae creationis sub Jagiellone membra capituli sustentabantur ex bonis episcopalibus. Dein ad eorum sustentationem Jagiello donavit dominium Strzeszyn ad ripam Borysthenis, Ponary prope Vilnam; Witoldus vero plateas ad arcem vilnensem et 8 domos et dominia: Cudzeniszki, Miedniki, Korzeń, Wolcza, Haniewicze, Kołodziejzyski, Bihoml, Sorzyca; Sigismundus M. D. L. Rukoinie, Woiniałgowo, Swieglica, Kamień, Polany, Popielany, Szyłany, Rzeczniki; Casimirus Jagiellonides: Dorsuniszki; Alexander: Witebsk, Widze Pierszaje; Sigismundus I Kamieńszczyzna, Sołoki, Poswole etc. bona, decursu temporis, tam a membris capituli, quam ab aliis benefactoribus donata.

Ad gubernanda bona capitulum gaudebat exemptione, tam ab episcopo, quam a republica: a regibus Poloniae et sede apostolica concessa cum iuris dictione in suos colonos et subditos; item Vilnae plateae capitulares incolatae separatam et a magistratu vilnensi exemptam, sicut et episcopales, propriam iurisdicam efficiebant.

Qua collegium canonicum et perpetuo indesinenter duraturum, capitulum exemptiones suas et privilegia iam ab episcopo Jacobo Plichta et eius successoribus, sub iuramento corporali ab iisdem praestito, observanda et tuenda exiebat. Non solum enim bonis suis, sed, quod praecipuum est, caeremoniis, et ordini servitii Dei in ecclesia cathedrali capitulum ex munere suo invigilat, mores cleri cathedralis inspicit et dirigit. Privilegia haec et auctoritatem capituli vilnensis confirmavit legatus apostolicus Zacharias ep. Gardiens. a. 1520 et Bernardus Bonianes ep. Camerun. a. 1561, cum clausula, ut omnia fierent in hoc capitulo

ad instar capituli Cracoviensis, et cum potestate ferendi censuris quosquunque adversarios et osores. Procuratores capituli vilnensis et tutores episcopi Luceorieneses et Cracovienses a Zacharia constituti sunt.

Florebant hac periodo in capitulo viri eximii scientia et moribus aliisque virtutibus uti: Mathias Trocensis, Erasmus Vitelius, Joannes de Domaniewo, Martinus de Duszniki, Petrus Roisius, Joseph Jasienski, Ambrosius Beynart etc.

Quod spectat vero coadiutores episcoporum vilnensium in pontificalibus, seu suffraganeos, memoratur quidam Nicolaus suffraganeus Wasillonis, ac dein initio XVI saeculi Jacobus Lis de Miechowo qui a. 1514 consecravit ecclesiam Vilnen S. Nicolai, qua eppus Caphensis et primus suffraganeus vilnensis. At hi suffraganei, qui forsan saeculo XV episcopis vilnensibus adiutorium praestabant, ex mensa episcopali et capitulari sustentabantur, donec tandem anno 1525 episcopus Joannes de ducibus Lituaniae, adiuvante patre suo Sigismundo I suffraganeos vilnenses bonis et dominiis Mile, Zadziewo et Dudy ditavit, et suffraganeum cum titulo episcopi Methonensis, quo suffraganei vilnenses usque ad exitum XVII saeculi utebantur, Georgium Chwalczewski constituit. Cui succederunt: Felix sine cognomine; Georgius Albinus † 1570; Cyprianus † 1592; Nicolaus Pac post. ep. Samogit.; Abraham Wojna post. ep. viln.; Georgius Tyszkiewicz post. ep. Samogit. et vilnen., Stanislaus Nieborski † 1645; Hieronymus Ladislaus de Kowel Lubartowicz Sanguszko † 1657; Alexander Sapieha post. ep. Samog. et vilnen.; Gothardus Joannes Tyzenhaus post ep. nominat. Smolensis. † 1669; Walerianus Stanislaus Judycki, an consecratus incertum, † 1673; Ladislaus Silnicki † 1691; Joannes Nicolaus Zgierski ep. Martyriensis sufr. viln. postea ep. Smolens. et Samogit. † 1714; Mathias Ancuta ep. Missionopolit. post viln.; Georgius Casimirus Ancuta ep. Antipatrensis † 1737; Joseph Comes

Sapieha ep. Diocesariens. † 1754; Antonius Żółkowski ep. Allaliensis † 1763; Thomas Zienkowicz ep. Ariopolitanus ad an. 1782, † 1790; Petrus Samson Toczyłowski ep. bellinensis ad an. 1793, † 1801; David Pilchowski † 1803; Nicodem de Kozielsk Puzyna † 1819 et Andreas Benedictus Kłongiewicz post. ep. viln.

Ad augendam devotionem populi Sedes Apostolica multa tribuit privilegia ecclesiae cathedrali vilnensi et clero:

A. D. 1500 Alexander VI concessit indulgentiam unius anni orantibus die Parasceves coram altari S. Crucis in eccl. cathedrali; a. 1501 item Alexander concessit capitulo privilegium excommunicandi transgressores statutorum Capituli; idem eodem anno dedit privilegium celebrandi in eccl. Cathedr. tempore adventus missam antelucanam (ante auroram), cum indulgentia 30 annorum et totidem quadragenarum visitantibus ecclesiam cathedralem in festo Rurrectionis, Pentecost. et Nativitatis Christi, ac in festo Dedic. Eccl. et Translat. Stanislai Episcopi Mart. confessis et ad reparationem Ecclesiae manus porrigentibus—quod privilegium confirmatum fuit a Clemente VII a. 1534. Alexander M. D. Lit. a. 1503 donavit ecclesiae Cathedrali Ss. Reliquias Roma per Erasmus Vitelium asportatas; quae in speciali altari cancellato collocatae, et certis diebus cultui fidelium in aperto expositae, magna cum devotione honorabantur; sacrae eorum particulae iuxta decretum capituli a. 1535 canonico Sacrum perficienti et praesentibus: episcopo et regi, quibus absentib. membris capituli in stallis assidentibus osculanda porrigebantur, exceptis tantum diebus cum expositione Sanctissimi celebratis; caetera privilegia Sedis Apostolicae videbimus in sequentibus saeculis.

Sed et Reges Poloniae et M. Duces Lithuaniae immunitatem et libertatem cleri catholici fovebant et tuebantur. Etenim Alexander M. D. Lituan. promulgavit edictum feria 3 post festum S. Bartholomaei a. d.

1492, quo libertates et exemptiones a civili iurisdictione, tam bonorum, quam personarum clericorum, statutae et confirmatae sint; quodque privilegium immunitatis cleri et a Sigismundo I a. d. 1538 et 1542 tam respectu Capituli, quam totius cleri renovatum fuit.

Crescebat itaque in dies et proficiebat vinea Domini in Lituania, at in defectu scholae clericalis, pauci erant operarii, ut indigentis fidelium satisfaceret. Percrebescebat tunc temporis rumor et fama novi ordinis fratrum minorum S. Francisci et Bernardini confessoris. Quibus correptus Casimirus Jagiellonides a. d. 1469 eos Vilnam vocavit. In diplomate invitatorio piissimus rex dicit: „Nos ergo nostrae ac praedecessorum nostrorum saluti salubriter consulentes et futurorum nostrorum auspicia feliciter optantes, ac terrena pro coelestibus, caduca transitoria pro aeternis eorum commutari cupientes fratribus de observantia sub regula B. Francisci degentibus in Metropoli civitate nostra Vilnensi: ut claustrum ibi erigerent, et aedificarent, ibique Nomen Crucifixi attollerent et praedicarent, neophitas in fide Christi confortarent et corroborarent benigniter inclinati, assignamus, deputamus, donamus... locum et aream nostram immediate contiguam molendino nostro super flumine nuncupato Vilna; et ut illic claustrum ecclesiamque in honorem Omnipotentis Dei et B. Mariae Virginis sub nomine et titulo et patrocinio Sanctorum Francisci et Bernardini Confessorum erigant aedificentque perpetuo concedimus. Datum Vilnae die S. Hieronymi D. Eccl.

Incolati Vilnae et ditati a regibus, p.p. Bernardini zelo suo apostolico conciliarunt sibi populum fidelem; humilitate sua et paupertate coniuncta simul cum hilaritate vultus et hospitalitate omnibus facti sunt amicissimi; ideoque et monasteria eorum late per Lituaniam diffundebantur et amplis dotationibus cumulabantur. Praeter servitium divinum et curam animarum fratres mendicantes sustentabant pauperes dividentes illis non solum panem carnalem sed et spiritualem,

aggregando scilicet pauperes infantes et juvenes in scholas suas, tam elementares, quam et superiores; sed de his ultimis postea narrabimus.

Toto enim XV saeculo vigeant in Lituania tantum scholae elementares penes ecclesias parochiales et monasteria; testimonia tamen scripta deficiunt. Ex privilegiis eccl. Cathedralis novimus penes hanc ecclesiam existere scholam a conditione eius, pro educandis pueris in sacro servitio et cantu. Scholam hanc ditavit a. d. 1452 Casimirus Jagiellonides, qui „defectum in salario rectoris scholarum in ecclesia cathedrali vilnensi videns, de sua speciali, gratia.. rectori scholariorum, qui pro tempore fuerit per dominos canonicos constitutus, dedit et donavit octo sexagenas grossor. lithuanicor. quoto anno solvendos perpetuis temporibus ex tabernis civitatis Vilnae“. Quae dotatio aperte indiciebat scholam exstitisse iam ante Casimirum Jagiellonidem. Quam scholam dotarunt in decursu temporis Joannes de duc. Lituan. ep. viln. creando praelaturam scholasteriam et ut praelatus scholasticus „utrique ministerio altaris scilicet et scholae satisfacere posset“ dotavit eum altaria in cappella episcopali et donavit ei „certos colonos ex bonis mensae episcopalis perpetuo atque aeternae possidendos“. Exemplum regis et episcopi secuti sunt eorum successores in tutanda et dotanda schola cathedrali. Instante enim Waleriano episcopo viln. Sigism. August. a. d. 1567 dedit privilegium recipiendi ex quolibet curru lignorum vectorum per Antocolle unam scidam pro tependa schola; a. d. 1651 Prael. dec. Zabinski legavit 200 sexag. gr. pro iuventute paupera, scientiis occupata, caeteros vero defectus supplebat cura Capituli, quod non solum sustentabat hanc scholam et scholares ex sumptibus scholasteriae, sed et reaedificabat ruinatam et devastatam per incendia et incursiones hostiles. scholam.

Elementaris haec schola non potuit satisfacere copiae et indigentis praesertim ditioris iuventutis, quae proinde ad extra petiens in scholis germanicis,

italicis et etiam Cracoviae et Pragae humaniora studuit Quod aegre ferentes cives et clerus rogarunt Sum. Pont. Leonem X ut sibi liceret condere scholam penes eccl. S. Joannis. Instantiis eorum satisfaciens Leo X dedit a. d 1514 die 7 Junii indultum sequentis tenoris: „Exponi nobis fecerunt dilecti filii universi confratres confraternitatis S. Joannis Baptistae, cives, incolae et habitatores civitatis et dioecesis vilnen. quod ipsi quandam domum prope parochialem ecclesiam S. Joannis eiusdem civitatis pro schola particulari, in qua iuvenes et pueri eorum erudiri et scientiam acquirere valeant et possint de eiusdem ecclesiae rectoris consensu tunc forsitan expresso eorum sumptibus erexerunt et fundaverunt seu erigere et fundare inceperunt et ex hoc iuvenum et puerorum praedictarum scholarum, qui non sine incommoditate ad scholam ecclesiae cathedralis... propter viarum discrimina et alia diversa pericula et incommoda ac propter longam distantiam commode accedere non possunt commoditati non parum consuleretur, quo circa Nos confratrum omnium incolarum et habitatorum praedictorum in hac parte supplicationibus inclinati, erectionem et foundationem praedictas tenore praesentium auctoritate apostolica approbamus et confirmamus omnesque et singulos tam iuris, quam facti defectus, si qui forsitan intervenerunt in eisdem in futurum supplemus. Et nihilominus confratribus civibus, incolis et habitatoribus praefatis domum praedictam ampliandi, et quatenus perfecta non sit, perficiendi in illaque iuvenes pueros illorumq. rectores, baccalaureos et magistros pro tempore existentes forendi et manutenendi iuxta et secundum dictae civitatis et dioecesis consuetudinem auctoritate et tenere (praesentium) praedictis licentiam et facultatem dedimus: non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis... et consuetudinibus... caeterisque contrariis quibuscunq. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo piscatoris etc.

Simul cum erectione scholae ecclesia S. Joannis

ad dignitatem Archipresbyterialis elevata, eiusque curato Leonardo Rodiano cum successoribus concessum est privilegium utendi dalmatio perpetuis temporibus. In hacce schola, pariter ac in cathedrali, studens iuventus regulas legendi, scribendi et grammaticam discebat, quarum scientia, tum ministris ecclesias, tum aspirantibus statum clericalem, prae omnibus necessaria fuit; sed minime desideria iuventutis dignitates saeculares et potiora studia ambientis quietabat. Desiderabatur itaque schola maior; cui necessitati obveniens curatus eccl. S. Joannis et canonicus capituli vilmensis Petrus Roisius, alias Maurus et Hispanus dictus, sub auspiciis Sigism. Augusti a. D. 1566 scholam iuris erexit, in qua ipsemet ius romanum, saxonicum et magdeburgense explanabat, quidam vero Grochovius, homo civilis, statuta lituanica interpretabatur; magistros iuvabant aliqui correpetitores.

Praeter has scholas, quae nobis historice notae sunt, etiam aliquot parochiales in provincia notantur: (in Jaroszevicii „Obraz Litwy.“ qui tamen errat circa tempus foundationis scholae cathedralis, dicens eam **una** cum scholasteria fundatam.) Vigebat etiam schola musicorum in arce Vilmensi, et fabrorum in civitate. Praeterea germani erexerunt scholas Mereciae, Caunae, Vilnae et Witebsci, et insuper in scholis parochialibus munus praeceptorum exercebant.

Interim iuventus nobilis et ditior in universitatibus externis scientiis et artibus incubuit uti: Cracoviae, Praegae, Bononiae, Paduae et in germanicis scholis superioribus. Personabant tunc temporis praesertim in Germania et Bohemia placita Wiclefi, Hussi ac dein Lutheri: item Helvetica et alia somnia ex principiis haesiarcharum praeteritorum saeculorum desumpta, novisque deliramentis et opprobriis erga ecclesiam catholicam aucta et sub specie reformationis in aulis academicis et in coetibus acatolicis commendata. Reiectio praeceptorum ecclesiae, inficiatio principiorum credendi et deductio operum fidei et morum ad conscientiam

et libitum cuiusvis individualem, perquam placuit iuventuti, tam ad vitia et lasciviam proclivi, quam et iis, qui praeter dictamina suae mentis superbae nullas regulas et auctoritatem agnoscebant nec defuerunt, qui praeconcepta opinione a rebellibus magistris imbuti erraverunt ab ecclesia bona fide.

Venientes in patriam iuvenes placitis haeterodoxis addicti et ecclesiae catholicae inimici facti, magistros fidei sese iactabant. Possessis amplis dominiis, qua heri et collatores in ecclesiis et senatores in comitiis, insurrexerunt in immunitatem cleri catholici et buccis crepantibus libertatem ministrorum novae fidei, exigebant; conculcatisque privilegiis a proavibus ecclesiae catholicae concessis, novas leges libertatum, ambitioni suae et incremento dissidentium de fide, in comitiis condebant et promulgabant. Superbia enormi impetiti parvipendebant maiestatem et sanctitudinem ecclesiarum catholicarum; pii Poloni et Lituani iam a. D. 1551 in comitiis Petricoviensibus quosdam apostatas cooperto capite Missae de S. Spiritu dictae adstantes mirabantur. Cum autem in clero catholico obstaculum et impedimentum suis placitis vidissent, hinc novatores non solum iurgiis et blasphemis eum opprobabant, sed fustibus et gladio persequebantur. Incredibile dictu, quae monstra enormitatesque ab iisdem novatoribus perpetratae sunt: praesertim cum ad castra eorum transisset Nicolaus Radziwill, dictus Niger, potentissimusque dux et dominus in Lituania. Expulsis clericis catholicis e suis ecclesiis novatores freti potentiae ducis coacervabant sibi magistros, tum e clericis apostatis a fide catholica, tum ex variis vagabundis selectis. Mores et vita nihili valebant; requirebatur, ut minister sit uxoratus et arte praedicatoria polleret; inde factum est ut Vilnae ad munus „Pastoris“ quidam Sadrovius, qui Leopoli artem carnificis exercuisse ferebatur, vocatus et admissus fuerit, filiamque Wolani, notissimi heresiarchae lituani, uxorem sibi duxerit.



In coetibus suis pro S. Missa coenam Domini celebrabant, mensamque coenalem candelabris cum sculptis mysticis gratiis candelas sustentantibus decorabant. Adimpletum fuit in iis propheticum dictum: „Obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, qui induebantur bysso et purpura, amplectabantur stercora.“ Cum itaque in coetibus suis religiosi nihil praestare valerent et abiuratis ritibus et sacramentis totum exercitium spirituale ad coenam, cantum et sermones reducerent: ad disseminanda sua placita scholas erigere inchoarunt, in quibus elementaria studia iuventuti exponerentur, et vagabundi baccalaurei haeterodoxa placita inculcabant.

Per quam grave onus in humera iuvenilis in Lituania ecclesiae catholicae cecidit; adhuc non crevit ad maturitatem, et iam cum tanto hoste dimicare cogebatur. Ab initiis enim suis defectu sacerdotum lingua lithuanica callentium et, quod sequitur, educatione et catechisatione debita plebis laborans, multa in sinu suo alebat zizania. Clerici, qui erant scientia et dignitate conspicui, pro bono publico politicis sese immiscebant et, tam cum senatoribus regni, quam cum legatis extraneis pacta conventa disponebant et firmabant. Clerus vero parochialis, regulas legendi et scribendi, et caeremonias necessarias edoctus, ipsemet carens adequata muneri suo scientia, parum praestare potuit rudibus et plebeis fidelibus, qui praesertim in Samogitia, etsi baptisati, cultum ethnicum fovebant. Ex defectu scientiae in clero et certi ordinis quidam ritus et caeremoniae extravagantes in ecclesiis invaluerunt: quisque parochorum ad libitum festa et celebritates instituebat, ordinabat celebritates et processiones cum Sanctissimo; cum interim tepidi et ignavi obiter omnia tractantes, etiam diebus dominicis sacra omittebant.

His enormitatibus accedebat collatorum praepotens opinio et voluntas, quibus. uti congregationi rituum arbitrariae, se accordari tenebantur eorum vassal-

li--curati. Hinc varietas, tam delectans mundum, sed in ritibus multa parens damna, invaluit in ecclesia nostra. Praeterea spiritus reformatorius excitavit quosdam e clero rerum paternarum cultores, qui modo Hussitarum Bohemiae etiam linguam nationalem in liturgiam introducere conabantur; et iam hic, illic lingua slavonica sacrum celebrare tentabant: uti e. gr. Georgius Albinus e Cracovia, praelatus et suffragan. vilnen. ep. Methonen, vir eruditus, sed et ambitiosus et novitatum cultor et propterea etiam de haeresi suspectus et a capitulo saepe admonitus. Hussitarum vero et Thaboritarum fautores communionem fidelium sub utraque specie exigebant.

Super omnia tamen quaestio de pane quotidiano dominabat et strenue agitabatur. Disceptabant itaque et iudicio contendebantur de proventibus non solum parochi rurales; sed etiam et capitulum cum episcopo de refectionibus, de divisione offertarum et rerum ab intestato relictarum. Conspiciebatur quaedam vanitas cum pompa et superbia iactantia cum prodigitate; sinistra tractatio muneris pastoralis, et accomodatio saecularibus desideriis: ad altare sacerdos, in aula civis saecularis: verbo, desiderabilis et laudabilis apud nos bene politi characteri nota: ad choreas et ad rosarium. At cum rosarium choreis, cultus Dei et Baal difficile concilientur et habito respectu fragilitatis humanae in corde id genus clericorum Baal et choreae Deo et rosario dominantur; hinc mirum non est sufflantibus ab extra ventis pseudoreformatoriis, multos e clero ad reiiciendum rosarium et accipiendas uxores paratos extitisse et cum clamore: „calicem, linguam et uxorem“ brachia novatoribus extensa expansisse: et quidem germani Lituaniam incolentes Lutheri consanguineo, Lituani vero Calvino animas suas dedisse.

Dilacebatur itaque vestis et sinus non solum ecclesiae matris, sed et reipublicae; et si hucusque erant quaedam dissensiones inter Lituanos et Ruthenos, nunc ortae sunt permultae sectae: quippe quia nova-

tores eiurata unitate catholica inter se cohaerere et consentire non poterant et quisque suam confitebatur fidem. Hoc modo brevi tempore 70 sectae in Lituania ortae sunt, quae odio et altercatione inter se dividebantur et unanimi odio contra ecclesiam catholicam tantum similes sibi erant. His itaque periculis ingrumentibus medere satagens episcopus vilnensis, collatis consiliis cum capitulo suo. synodum dioecesanam celebrare statuit. Erant tunc in capitulo vilnensi viri eximii: uti Joannes Filipowicz prael. custos nomin. episcopus Kioviens, vir gravis consilio et pietate sublimis, magnae auctoritatis in capitulo; Gasper de Varsovia ob suam prudentiam et virtutes ab omnibus veneratus; Martinus de Duszni phisicus regius, consolator afflictorum et hospitalis Mariae Magdalenae fundator—canonici; Nicolaus Wierzgailo prael. decanus, postea episcopus Kioviens. et Samogitiensis; Ladislaus Czyrka de Wolkowysko concionator cathedralis; Andreas Swirski et Paulus Olszaniensis, principes prosapia, ingenio et pietate conspicui. Sed et homines laici vel clerici minorum ordinum inter membra capituli, qua regii pupilli, vel episcopi commensales a capitulo sustentati locum obtinebant: uti Avinio Hispanus, Joannes Amatus Siculus, Erasmus Vitelius diaconus, legatus regius, postea episcopus Plocensis, Joannes Kotarski, Andreas Nadbor clericus minor. ord.; Joannes Benedictus Solfa Dr. med.; Alexander de Pessentis phisicus regius. Hi omnes cum sacra peragere non possent, vicarios vices suas adimplentes sustentabant.

In litteris suis invitatoriis ad capitulum et clerum directis conqueritur episcopus: „in toto ducatu Litvano tot inveniri cultus Christianos, tot varietates et confessiones: ut clerici iam saeculariis desideriis sese implicaverunt; laici vero variis placitis addicti, consuetudinibusque peccaminosis servientes, maiora in dies perpetrant mala, donec censuras ecclesiasticas incurrant; morumque corruptionem adeo esse communem, ut fere omnes lasciviae obnoxii essent.

Inchoata est haec synodus I dioeciesana Vilmensis a. D. 1525 die 7 Octobris. Episcopus diligenter se excitabatur a clero parochiali, de statu parochiarum, de vita moribus et cultura fidelium; item de statu, caeremoniis observandis atque de executione muneris pastoralis. Tria sibi praefixit synodus restauranda; mores cleri, caeremonias et ritus et educationem infantium et rudium. Ideoque sancita sunt statuta de regendis parochiis, et poenae contra ignavos curatos declaratae; limitatae sunt processiones cum Sanctissimo; concinnati sunt ritus et caeremoniae observandae, eorumque accurata et identifica observatio mandata. Ad vota et normam concilii Lateranensis IV iubet synodus curatos erigere scholas penes ecclesias parochiales, pro sustentandis baccalaureis congruentem censum statuit: cum ea precautionem, ne praeceptores germanici amplius in scholas admitterentur. Obligati sunt parochi rurales vicarios idioma lituanico callentes tenere sustentareque; ad assuescendum vero populum fidelem idioma polonico evangelium lituanice et polonice coram populo legere. Statuta huiusce synodi per totam dioecesim promulgata et executioni mandata quemdam rerum ordinem et restaurationem ecclesiasticae disciplinae divinarunt. At cum vitia extirpanda vigilantiam et laborem indefessum exposcebant; interim pertractiones cum Russis et Scytis et quaestio de intronizando Sigismundo Augusto in solio Magni Ducatus, dein incendium Vilnae mentes ab exequendis rite statutis synodalibus averterunt. Conflagrata ecclesia cathedralis totum animum episcopi Joannis, qui eam magnis sumptibus restauravit, et mentem absorpsit, et usque ad ultimos dies pontificatus eius in dioecesi vilmensi plane eum occupavit. Diminuta enim pietate procerum Lituaniae, qui per totum XV saeculum dotabant ecclesiam cathedralem; et sumptus ad eam reaedificandam deficiebant. Multam pecuniam elargitus est episcopus cum capitulo in fabricam ecclesiae; et cum haec sufficere non posset, hinc successor episcopi Joannis, Paulus

ad colligendam pecuniam convocavit Synodum a. d. 1538 in Ecclesia S. Joannis celebrandam, quia ruinata per incendium eccl. cathedralis locum aptum non contineret.

Non erat ecclesia cathedralis illa primitiva, a Jagiellone constructa, conflagrata enim a. 1398, a Vitoldo magnis sumptibus in stylo gotico constructa, cui postea a regibus, episcopis vilnensibus et Gastoldio astructae erant capellae, quaeque a Joanne de ducibus Lituaniis et Sigismundo I. artificiose restaurata erat. Episcopus Joannes ita adamavit hanc ecclesiam, ut etiam post discessum suum Vilna fabricam sustentabat et moriens pecuniam certam, equos et currus pro sartis tectis ecclesiae cathedralis reliquit, ipseque in hacce ecclesia sepeliri voluit, quod et factum est; nam sepultus est in capella a se constructa, dicta Janussiana.

Statuta fuit itaque II synodus dioecesana in sessione capitulari, 12 die Mai a. 1538, praesentibus et consentientibus praelatis et canonicis: Josepho Jasieński Archid.; Paulo Ciechanowski Custode, Wenceslao Czyrka iur. doct., Stanislao Dombrowka Magistro; Andrea Nadbor, Joanne Kunicki Mgro et Valentino de Pilzno Can. supernumerario. Episcopus proposuit in futura synodo solvendam quaestionem contributionis in rempublicam et in restaurationem eccles. cathedralis. Sed quia contributio in rempublicam in Comitibus nobilium erat statuta a senatoribus pro necessitatibus ingruentibus; restauratio vero ecclesiae nullam moram pateretur, hinc episcopus hortabatur, ut quaestio de subsidio in fabricam ecclesiae citius solveretur, et sic collectioni contributionis in rempublicam praeveniretur. Declarata fuit et mensura huius subsidii a clero exigendi scilicet: ab uno iugo boum 12 grossor., ab equo 6 gr.; beneficiati vero, altariae et mansionarii dimidiam sexagenam grossor.; vicarii 6 gros.; subsidium huiusmodi intra duos annos erat colligendum.

Celebratio synodi inchoata est die 19 Mai eodem anno, in ecclesia S. Joannis, Missa de spiritu S. a suffraganeo viln. Georg. Chwalczewski celebrata, ser-

monem dixerunt primo die Canonicus Czyrka, altera vero p. Valerianus ord. Praedicator. profes.; tertia autem die Can. Valentinus de Pilzno. Proposita quaestione subsidii clerus tempus ad deliberandum exigebat, dein tertia die subsidium unanimiter acceptatum. Finita synodo ordinata fuit processio in ecclesiam cathedralem, ubi episcopus valedicendo clero indulgentias et potestatem absolvendi a censuris concessit. Tamen hoc subsidio fabrica ecclesiae cathedralis minime perfecta fuit, sed pecunia vindicata ab executoribus episcopi Joannis et etiam in Cyrographum episcopi Pauli mutuata continuabat.

Interim haereses et errores serpebant et crescebant in dioecesi; apprime itaque restauratio disciplinae ecclesiasticae et morum desiderabatur. Hinc celebrata fuit a. D. 1546 Synodus III dioecesana; sed quonam mense incertum est, nam mentionem eius ex posterioribus documentis colligimus. Ex his patet in hac synodo XI articulos constitutos fuisse: I. de non diffamando clero ex causa iudiciorum ab officialibus episcopi; II. de non absolvendis saecularibus litigantibus in absentia clericorum, cum quibus litigantur; III. de officiis visitorum dioecesis; IV. de rebus ab intestato relictis; V. de inquisitore haereticae pravitatis; VI. contra nobiles clerum universis modis iniuriantes; VII. de contumacibus, qui per totum annum in censuris permanent, nec se ab iisdem liberent; VIII. de auctoritate ordinarii loci; IX. de vicariis spiritualibus oppidaneis et ruralibus; X. de conservandis immunitatibus cleri; XI. de contributione in comitiis generalibus, a clero seligenda, constituta.

At quaenam circa hos articulos statuta fuere et executata, incertum est: eo potius, cum hi articuli etiam a coetaneis occultabantur, ut inferius patebit. Videns omnes conatus suos frustratos episcopus Paulus (Cf. Direct. 1904), aegrotans iam et morti propinquus, convocavit novam Synodum, quae fuit IV dioecesana, a. D. 1555 die 4 Februarii. Pro infirmo episcopo Paulo

locum praesidentis synodi episcopus samogitiensis Wenceslaus Wierzbicki occupavit; assidebant vero cum voce activa membra capituli vilnen: Georgius Albinus ep. Methon. suffrag. vilnen.; Joannes de Domaniewo praeposit.; Joseph Jasiński Archid.; Paulus Wiszeński Custos; Bartolomaeus de Cauna; Joannes Wierzbicki (Wierzbowski); Albertus Narbutt Mgr.; Stanislaus Narkuski, cancellar. episcopi; Bartolomaeus Sabinius archid. Lublin. phisicus regius; Albertus Grabowski Dr. med. -- canonici; et extra numerum participantium Joannes de Cracovia, Mathias Dobratycki can. Przemyślien. et totus clerus.

Inchoata fuit synodus Missa de S. Spiritu, concionem dixit Dr. Martinus Kurek, concionator episcopalis. Post quae Narkuski proposuit quaestiones solvendas. Tunc nomine totius cleri salutavit synodum procurator cleri parochus Dusiatensis et Subotnicensis Paulus Staszkowski rogavitque dari sibi copiam quaestionum crastina die solvendarum, quibus acceptis omnes ad prandium abierunt.

Die 5 Februarii Staszkowski praeprimis rogavit synodum, ut quidam sacerdos Paulus, illegitime iam ab anno in carcere detentus, liberetur. At capitulum quaestiones hesterno die exhibitas solvendas proposuit; Staszkowski vero, cedens priori postulationi, revisionem articulorum praeteritae synodi, an sint executioni mandati, requirebat. Capitulum hosce articulos in charta demonstrandos, vel memoriter recitandos, exigit a Staszkwio; hic dicit hosce articulos apud prael. Jasinscium inveniri; Jasinscius negavit, et possessorem articulorum notarium episcopi Strzembosz indigetavit. Staszkovius articulos crastina die praesentandos promisit. Dein exorta est quaestio de tolerantia per totum annum censurarum, quae ad synodum provincialem solvenda remissa fuit; causam vero de subsidio charitativo et selectione legatorum ad synodum provincialem crastino die discutiendam statuerunt. Post haec citatum est decretum contra non residentes in

parochia et s. officium negligentes, atque contra vastatores et dilapidatores bonorum ecclesiasticorum et ad Loci ordinarium confirmandum remissum. Ultimo curatus Wolkowyscensis Ambrosius Niemirowicz allegavit praedecessorem suum bona parochialia quibusdam Grabovsciiis, nescio quo iure, conduxisse; patres synodales statuerunt citare Grabowscios ad restitutionem bonorum proventuumque moderno curato; denique domos et ad officia sua abierunt. Die 6 Februarii Staszkowski praesentavit conquisitos articulos praeteritae synodi; quibus perlectis patres nihil addiderunt et ad episcopum synodum queprovincialem miserunt. Ad 9 vero articulum statuerunt eligendos esse officiales rurales seu oppidaneos unum super quoslibet 4 decanatus, viros probos et iurisperitos, illisque litteras authenticas synodali auctoritate extradendas. Deinde quaestio de contributione in rempublicam, iuxta statuta comitorum a clero solvenda, in medium producta est; omnes in genere consenserunt dandam esse contributionem, sed certis cum restrictionibus et animadversionibus. praecisis et acutis: Et quidem: Praesidens episcopus Samogitiensis consentiens in contributionem demandabat, ut selecta pecunia in thesario ecclesiae S. Stanislai pro instante necessitate reponeretur: et si bellum cum Moscis eveniat, alteram contributionem praeparandam: ea tamen ratione, ut sua Regia Maiestas clerum a saecularibus tueatur. Joannes de Domanievo idem sensit: en potius aiebat, dandam contributionem, quia Moscus hostis potentissimus est. Item et Jasinscius exposcebat, ut Regia Maiestas haberet respectum in clerum, ne a saecularibus iniuriis afficiatur, et ut clerus more antiquo immunitatibus et libertatibus gaudeat et honeste tractetur.

Paulus Wiszeński adiecit: olim Regiam Maiestatem, si aliquid a clero exigeret, prius legatos ad capitulum mittere; hanc consuetudinem in praesenti miratur omisam: et respectum aliquem in clerum exigit. Narbutt vero animadvertit: olim bonae memoriae Vitoldum.



M. D. L., qui tantum ducatum Lituani, sed non regnum Poloniae possedit, cum Mosco et Scytis bella gerebat crebra: clerum ad contributiones nullas compulisse, sed e contra eum beneficiis et dominiis dotasse. Hinc miratur Narbutius de tali rerum mutatione; et refutans invectiones nobilium in comitiis ferentium leges ad extorquendam a clero contributionem ea ratione, quod bona cleri a nobilitate condonata sint et iisdem periculis in casu belli et hostilis devastationis, quibus et bona saecularia, subiacent: dixit nobiles non posse aequiparari clero: nam nobiles cum ad bella non procedunt, ullum onus ferunt; cum clerus semper operatur et sua exercet onera: scilicet divina officia peragendo, praedicando, baptisando, confessiones audiendo et alia obsequia in honorem Dei omnipotentis perficiendo; ultimo se contributionem dandam, si aliter fieri non possit, consentire, cum adprecatione Regiae Maiestatis, ut respectum aliquem in clero haberet.

Sabinus votum suum allegando praemonet: se in hac praevia et arbitraria constitutione contributionis in clero in comitiis nobilium videre limitationem immunitatis ecclesiae; rogandam itaque Regiam Maiestatem ut clero in suis immunitatibus conservet, ab adversariis tueretur et ut statuta, quae de novo in comitiis fabricantur, contra immunitatem ecclesiae et libertates non essent fabricatae.

Joannes de Cracovia allegavit olim reges et principes non pecuniam a clero exigisse, sed quaesivisse gratiam Dei et propterea victorias de hostibus obtinuisse.

Postquam collationem votorum Stazkowski nomine totius cleri protestatus est: se in unam contributionem consentire, ea tamen sub conditione, si provincialis synodus approbaverit et sua Regia Maiestas respectum aliquem in clero habuerit. Et cum in praeterita synodo nullus episcoporum coram Regia Maiestate aliquod verbum de immunitatibus et libertatibus ecclesiasticis dixisset et clero „vacuum“ domos remisissent; proinde obnixe rogat Rmos ac Venerbles

Dominos, qua capita ecclesiae, ut vota cleri ad Regiam Maiestatem apponere dignarentur. Ultimo discutiebantur quaestiones de testamentariis, de pecunia mutuata ex thesaurario S. Casimiri ab episcopo Paulo, de selectione pecuniae legatis ad synodum provincialem etc.

En tibi, lector, specimina rerum synodorumque, verbotenus fere deprompta et proposita. Cum ita subtiliter disputatum erat in Comitibus et synodis et altercationes inter clerum et nobiles dilatabantur et crescebant in dies, haereses passim passimque gliscebant et proficiebant in magno ducatu Lituaniae. Mortuo episcopo Paulo successit Valerianus (vide Dir. 1904 № 13), qui initio sui regiminis parvipendebat insultus novatorum; at capitulum zelo divino correptum, cum vidisset mala ingruentia, persaepe admonebat episcopum ut auctoritate sua damna praeveniret occurreretque cum succursu labenti ecclesiae et religioni Catholicae. Sic anno 1556 animadvertens episcopum de crescentibus erroribus, disseminatis inauditis blasphemis, rogat eundem ut supplicationes et processiones solennes per dioecesim et ieiunia promulgaret. Anno vero 1560 die 19 Julii conqueritur capitulum: „attendentes magnum errorem in causa religionis inter homines multiplicari et non esse hunc, qui illi occurrere posset et vellet; quare timentes ne maiora mala eveniant Reverendissimum Dominum in Christo patrem Valerianum, huius dioecesis pastorem et omnium clericorum principem et ecclesiae defensorem, ab hac ecclesia sua cathedrali vilnensi absentantem, nec erroribus occurrere curantem, admonendum constituerunt.“ Pro huiusmodi admonitione perficienda miserunt e gremio suo canonicos Petrum Arcichowski et Victorinum Wierzbicki, quibus mandarunt admonere episcopum de eius absentia, de predatione presbyterorum et expulsionem a beneficiis per haereticos, de eiectione sacramentorum et Sanctissimi Corporis Christi ex ecclesiis, quod Sanctissimum blasphemis inauditis afficitur, ac aliis ignominiosis verbis. Cum tamen episcopus non pareret admonitionibus ca-

pituli; anno sequenti die 30 Mai capitulum cohortatur episcopum ut statuta synodorum observet, et anno 1562 die 18 Decembris reprehendit eundem de absentia a civitate et residentia in bonis Werki; et conqueritur: episcopum „pro festo Nativitatis longius abire in ignominiam totius cleri et iacturam ecclesiae“ conantem.

